Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Ernst Joachim Westphalen von

D. Ernesti Joachimi Westphal De Fatis Atqve Usu Studii Juris Feudalis In Germania Meditatio Pragmatica. Qvæ Sigillatim Complectitur Primas Lineas De Origine Feudorum Atqve Juris Feudalis In Imperio & Provinciis Germaniæ

Wismariæ: Sundii: Impensis Samuelis Gottlieb Lochmanni, 1725

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

RU jurist. 1725
Westphal, Ern. Joach.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0001
DFG

D. ERNESTI JOACHIMI WESTPHAL

DE

FATIS ATQVE USU STUDII JURIS FEUDALIS IN GERMANIA

MEDITATIO PRAGMATICA.

QVÆ SIGILLATIM COMPLECTITUR PRIMAS LINEAS DE ORIGINE FEUDORUM ATQVE JURIS FEUDALIS IN IMPERIO & PROVINCIIS GERMANIÆ.

WISMARIÆ & SUNDII 1725.

IMPENSIS SAMUELIS GOTTLIEB LOCHMANNI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0005
DFG

VIRIS
Amplissimis & Doctissimis, Jure-Consultis de Republica Litteraria & Civili longe Meritissimis & Excellentissimis
DOMINO,
DN. VALENTIN JO. BESELIN,
J.U.D. Celebratissimo, in Curia Rostochiensi Senatori Consultissimo & Assessori Judicii civilis Senatorii Gravissimo,
reliqua;

Universitäts-Bibliothek Rostock

DOMINO
DN. JO. VALENTIN STEVER,
JCto Consummatissimo, Civitatis Rostochiensis Senatori longe merentissimo, Curialis Judicii Proto-Notario Spectatissimo,
reliqua:
Fautoribus & Cognatis meis perpetuo mentis cultu & singulari
utrinque observan ia suspiciendis
S. & F.
ERNESTUS JOACHIMUS WESTPHAL.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0006
DFG

VIRI Amplissimi & Consultissimi, Æstumatissimi Domini Cognati.

IN illo amicissime conspirant Longobardorum civiumque Germaniæ mores quam sæpius ceteroquin invicem dissidentes, quod Viros de Republica Literaria & civili bene merentes nullo non tempore cultu prosecuti sint destiterintque nunquam eorum judiciis exponere actiones, inventa artium & literarum. Animus nunc non est, trans alpes in campos exspatiari vel ex Romani & Germanici Juris Historicis exempla conquirere; ego quidem Germanus Patriæ consuetudinis tenax me non erraturum puto, si *Vestris Nominibus* in Cathedris & Curiis Celebratissimis hanc consecrarem atque addicerem opellam, *Vestris Nominibus* quidem indignam & inferiorem, scriptam saltim in usum Scholarium Juris clientelaris, qui ultra jus longobardicum sapere maluerunt & subinde primas lineas & summam epitomen Originum Feudorum & Juris Feudalis *in Germania* requisiverunt. Sereno animo, quo consueviſtis singulos ad observantiam excitare, excipiatis quæso hanc parvi momenti sed majoris mentis & obsequii tesseram, & cum Judices *Vos* esse sciam, quos doctrina insignis, usus rerum fori, circumspecta in consultando & decernendo prudentia, animi excelsi pariter Vis præsentia atque auctoritas laudant & commendant, spes atque tripudium animum excitant & fovent, fore ut *Vestro* judicio, *Vestra* emendatione & lima, quin solo *Vestro* Nomine Studiis meis accedant autoritas & incrementa. Valete cum universa VESTRA GENTE FLORENTISSIMA & diutius res *Vestras* agite feliciter. *Scr. Rostochii 1724. d. 6. Novembris.*

PRÆ-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0007
DFG

PRÆFATIO.



Um ante biennium *illustri Saxoniæ Jureconsulto* allubuerit, me vocare ad litterarium commercium *de natura feudorum provincialium in Ducatu Megapolitano;* enata subinde mihi sæpius est occasio, mirari non solum in Jure Clientelari Provinciarum Germaniæ, silentium Interpretum atque Patriæ Doctorum, verum etiam in applicando Jure feudali Longobardico obstupescere ad tot & tantos eorundem dissensus, discrimina, cumulos, moles atque perturbationes. Quamvis vero illos cum *Hottomanno* atque *Cujacio* mala cruce & pistrino dignos non judicaverim, quin potius ex historia feudali Germaniæ facile intellexerim, quid illos urserit moveritque ad agendum hic extra circulos & orbes in transversum atque præcipitia; operæ tamen pretium esse existimavi penitius examinare fata eorundemque rationes in studio Juris feudalis apud Germanos. Cum vero ultro eluceat, Germaniæ JCtos id quidē hactenus egisse, ut Jura Longobardica vel unice meditarentur vel illa cum Jure feudali Germanico confunderent invicem atq; cogerent

cogerent in harmoniam; in id animum sollicitius defixi, ut ex genuinis præsidiis ac monumentis Originem Feudorum *cum Imperii,* der Reichs-Lehen/ *tum Provinciarum Germaniæ* der Landsäßigen Lehen/ eruerem atque insimul de Indole Juris feudalis Germanici, deque autoritate & usu Practico Juris communis Longobardici in foris Germanorum dissererem distinctim. Habes itaque nunc hic primas lineas *de Studii Juris feudalis fatis, utilitate, necessitate atque pragmatico usu*, habes etiam *summam delineationem historiæ Feudorum atque Juris Feudalis in Imperio Germanico ejusdemque Provinciis*, quam tamen superficiariam fore, facile cum STRUVIO atque RHETIO judicaverint curatiores, nisi ducta fuerit atque repetita ex genuinis fontibus & probatissimis documentis, quæ in argumento fundamentali clientelari atque historico necessaria dixeris præsidia, æque ac in aliis argumentis, quæ non nituntur sola ratione, sed jure positivo, fideque consuetudinum atque historiarum. Ne itaque eduxisse videar mea instar araneæ, singulas doctrinas non quidem glossatoribus, & qui mos est fastidiosus, scholasticis allegatorum cumulis, sed testatissimis Scriptoribus, præcipue coævis atque pragmaticis Interpretibus, sigillatim vero fidis monumentis, rationibus, documentis atque genuinis præsidiis contueri atque probare studui. Quamvis ceterum promtum paratumque me profitear, quam lubentissime sequi præeuntes in via rectiori. *Scr. Rostochii MDCCXXIV. Ipsis Calendis Nov.*

DE STUDII JURIS FEUDALIS FATIS, ATQVE USU IN GERMANIA.

§. 1.

Olim Juris feudal. tractatio fuit infrequens in Germania Sec. X. XI. XII.

INculta quidem atque in ſqualore & tenebris diutius delituit Jurisprudentia Clientelaris (a), ſed non eſt, ut ad hæc fata adeo obſtupeſcamus, ut cum recentioribus male precemur (b) manibus veterum Jureconſultorum, qui momentoſas Jurium feudalium doctrinas in medio ævo non vindicarunt à barbara ſervitute atque vulgi contemptu. (c)

§. 2.

Deinde ævo Gloſſatorum fugitiva, Sec. XIII. XIV

Non diffiteor, veteres Jureconſultos tanta ſe obruí paſſos fuiſſe oſcitantia, ut operæ pretium non habuerint ex inſtituto docere conſuetudines feudales. Poſt Henricum Hoſtienſem tantum non omnes Jurium cultores clientelare Jus appendicis loco interpretati ſunt per tranſennam in Jure Canonico, (d) alii vero cum IMMOLA

(a) NICOL. VIGELIUS *de methodo Juris feudalis p. 97.*

(b) JO. PETR. *à* LUDEWIG *Tr. de Jure Client. præf. p. 4.* JAC. FRID. LUDOVICI *præf. ad Jus feudale Saxonicum.*

(c) HENR. ZOESIUS *præl. de Jure feudorum p. 33.* JO. GOEDDEUS *in medulla Juris feudalis p. 8.* qui ſecuti ſunt veſtigia JACOBI BELLOVII, PETR. NIC. MAZZII, BALDI PERUSII, & JOA. BORCHOLTI.

(d) PETRUS *de* ANCHORANO *in Decretales f. 1535.* ÆGIDIUS BELLAMERAMUS *Libr. in Decretales Vol. 3. f. 219.* quos imitati ſunt SINIBALDUS FLISCUS, FELINUS, JO. ANDREÆ, NICOLAUS *de* TUDESCHIS, PETRUS MATTHÆI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0010
DFG

LA, BARTOLO, BALDO & JASONE illud ablegarunt ad argumentum Juris emphyteutici adeoque adglutinarunt codicis libro quarto. (e)

§. 3.

Illi vero, qui ſapere ſibi viſi, ac hoc argumentum peculiaribus ſcholiis dignati ſunt, illud curſim docuerunt feſtivis diebus in lectionibus nundinalibus atque ſabbathinis, (f) ſive, quod idem eſt, horis ſubciſivis atque feriatis temporibus, quibus Jureconſultis otium fuit atque quies ab ordinariis majoris momenti ſtudiis. Et has quidem lectiones Seculis XIIItio XIV. XVto frequentiſſimas fuiſſe, appoſite intellexeris vel ex ſolius ROFREDI BENEVENTANI, (g) JACOBI ALVAROTTI (h) & FRANCISCI CURTII (i) dicteriis & commentariis. *Atque nundialis Sec. XV.*

(e) BARTHOLOMÆUS SALICETUS *Commentar. in novem Libros Codicis Vol. I. L. 4. Tit. 1. §. 4.* AUG. BARBOSA *in Collectaneis ad Codicem L. 4. c. 1.* præcipue AZO, CYNUS, ANTONIUS MORNACIUS, JO. SICHARDUS, CONRADUS, JO. TEUTONICUS, & per quem in Academiis Italiæ Jus Longobardicum accesſio facta eſt Juris Romani, HUGOLINUS.

(f) FRIEDR. GOTL. STRUVIUS *ad Deciſiones Sabbathinas* GEO. ADAMI STRUVII *præf. 1. f. ult.* GEORG. MUND. à RODACH *Conſil. 27. n. 4. Vol. 1.* AUCTOR *quæſtionum Sabbathinarum, quæ Lipſiæ prodierunt, T. 1. præf.*

(g) *In proœmio quæſtionum Sabbathinarum.* Nominandus pariter hic eſt D. PILEUS, *JCtus Bononienſis*, cujus dexteritatem *in ſolvendis Jurium quæſtionibus ſabbathinis atque de facto emergentibus* veteres Interpretes ſummopere collaudant, VIGELIUS *ad L. f. C. de Edict. D. Hadr. toll. n. 66.*

(h) *in proœmio de uſu feudorum p. 3. conf. Receſſus Deputationis Spir. a. 1600. §. 21. §. 85.*

(i) *Parte 1. Feud. præf. p. 2.* ubi verba: *Diebus, quibus ordinarie non legebatur, aggreſſus ſum docere Jus feudale.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0011
DFG

Inauditum itaque atque indignum Jureconsulto fuit, ex instituto mentem atque operas defigere in Juris clientelaris doctrinas, quibus parvam utilitatem inesse atque dandam esse arbitrati sunt tractationem superficiariam, (k) quae fit in transcursu.

§. 4.

Et proletaria aevo Humanistarum Sec. XVI.

Praecipue Germaniae Jureconsultis bilem moverunt Jurium Romanorum Doctores, quos ceteroquin Humanistas vocare sueverunt, rerumque Latii callentissimos fuisse non diffitentur. Tantum enim abest, ut cultissimi Latini Jureconsulti, VALLA, ALCIATUS, HUBERTUS GIPHANIUS, ANTONIUS CONTIUS, FRANCISCUS DUARENUS, FR. HOTTOMANNUS, MATTH. WISSENBACHIUS, BIGNONIUS, DONELLUS, BALDUINUS, GVIL. BUDÆUS, EGVINARIUS BARO & ALTESERRA beneficiario Juri *in Imperio & Provinciis Germaniae* facem praetulerint affuderintque lumen, (l) ut potius ad hoc argumentum, vel illotis manibus accesserint, vel certe polluerint sacraria Juris clientelaris Germanici fontibus rerum transalpinarum. (m) Quotusquisque itaque ad hujusmodi scriptores legendos

(k) JO. CALVINUS *Jurisprud. feudali L. 3. p. 21.* ARNOLDUS BARTIUS *nucleo Juris feud. p. 36.* EVERHARD. BRONCHORST *methodo feudorum p. 31.* ibique animadversiones CYPRIANI REGNERI & JO. JAC. WISSENBACHII.

(l) *Ipse* CUJACIUS *T. III. operum p. 651. Nulla Juris pars*, inquit, *pejoris conditionis, quam illa, quae de feudis est. Qui ceteras se tenere profitentur, hanc rejiciunt quasi barbaram.*

(m) CONR. RITTERSHUSIUS *L. 1. feud. c. 3. app. 55.* HENR. BOCERUS *Synopf. feud. Th. 2.* JO. COPPEN *Observ. feud. O. 1.* BULGARUS, UGOLINUS, VINCENTIUS & JAC. COLUMBINUS *in gloss. Juris feudalis.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0012
DFG

gendos non attulerit animum genuinis principiis inſtructum atque imbutum, nec non Germanicarum conſuetudinum, legum, antiquitatum, moris ac uſus patrii notitia lotum atque tinctum, (n) ille non niſi pulchram artem didicerit in præcipitia ruendi agendique in ſubitos caſus atque in transverſum. (o) Jus enim feudale, quod in Germania natum, (p) à Germanis populis dictum eſt atque ſcriptum, fruſtra atque inconſulto revocatur ad limam Juris Longobardici à Humaniſtis, qui hic divagantur extra oleas, ac famam, quam nacti ſunt in oris Romanorum, egregie prorſus proſtituunt in regionibus Provinciarum Germaniæ. (q)

§. 5.

(n) FABER CONTARELLUS *de l'Origine des fiefs p. 225.* GVIL. FARNESIUS *Tr. de feudis* ex editione MAGNI WEDERKOPFII p. 61.

(o) GVILIELMUS FORNERIUS *Theſ. Jur. feud. 11.* GVIL. HANNETONIUS & LIBORIUS HATTYSERUS *Syn. feud. p. 15. 19.* PISO SOACIUS *qu. feud. 16.* JAC. *ab* ARDIZONE *Summa in Jus feud. p. 31.* BENED. CARPZOVIUS *Synopſ. feud. p. 31. ſq.*

(p) Ex adverſo Jus Longobardicum feudale à Germanis quidem, ſed extra Germaniam effictum eſt in Gallia Cisalpina, atque ad indolem regionis Romanorum accommodatum SIGONIUS *de regno veteris Italiæ p. 150.* TITIUS *Jur. priv. L. II. c. 20. §. 4.* SANDIUS *de Conſuet. Geldr. & Zutphan. feudal. S. 3. c. 1. §. 2.*

(q) Fallunt proinde, qui à Humaniſtis cognitionem Juris feudalis pragmaticam in Germania didiciſſe gloriantur. Non ſecus, ac ſi quis exſpectaverit Juris publici Germanici notitiam à *Bartoliſtis*, quorum tamen doctrinæ non egrediuntur circulos & limites Italorum. His vero in Jure feudali parum præſtant Humaniſtæ. *Illi* verbis legum, ampliationibus, limitationibus atque infinitis exceptionibus incaneſcunt, vim atque rationes Legum ignorant, ſubſtituuntque his quidem

De Harmonia Humaniſtarum & Bartoliſtarum.

§. 5.

Recentiori ævo corrupta atque confusa.

Et quotusquisque est, qui recentiori ætate hodieque non indignetur Juris Longobardici Interpretibus atque Doctoribus HUNNIO, MATTHÆO AB AFFLICTIS, CASP. BITSCHIO, FRIEDR. SCHENCKIO, JOA. de S. GEORGIO, ANDREÆ ISERNIENSI, JO. SCHNEIDEWINO, LEOPOLDO HACKELMANNO, JO. GEMMELIO, MATTH. WESENBECIO, CAMILLO RATHIO, JO. MELONIO atq; LUDOLPHO SCHRADERO, qui in tot Juris feudalis Voluminibus Jura Germanica & particularia cum Romanis & Longobardicis confundunt, (r) ac tantum non cœlum cum planetis, hæc cum syderibus miscent ac mutant. Præcipue HENRICUS à ROSENTHAL in spisso libro, cui ex modestia dedit *nomen epitomes*, omnia illa, quæ Juris Longobardici plastes & compilator instar imperiti figuli in unum chaos retulit coegitque, (s) sine ulla cura Patriæ & Reipublicæ, in qua scripsit, debita, sine ullo temporum, rerumpublicarum, finium, atque judiciorum discrimine applicare

quidem glossas atque autoritates, quas recentiores Jureconsulti omnino nauseant in scriptis MENOCHII, MASCARDI, FARINACII, MANTICÆ, ac HIERONYMI de CÆVALLOS. *Hi* vero desudant in Legum corticibus, in artis criticæ nugis atque subtilitatibus, quin imo in dichotomiis methodi Ramisticæ, quibus hodieque abundant scripta LAUTERBACHII, WESENBECII, LYNCKERI, BACHOVII *aliorumque*. CRACOVIUS *T. V. declam. Philip. p. 628.* GRAVINA *de ortu & progressu Juris Civilis. p. 214. Dn.* THOMASIUS *Cautel. circa præcogn. Jurispr. c. 10. §. 17.*

(r) SCHURFFIUS *Cent. III. Conf. 37. n. 17.* GRYPHIANDER *de Weichbildis c. 49.* BETSIUS *de Pactis illustrium c. 2. §. 3. p. 10.*

(s) GVIDO PANCIROLLUS *Var. Lect. L. 1. c. 40. 41.* OTTO FRISINGENSIS *L. 2. c. 13.* JACOB CUJACIUS *de feudis L. I. ibique Scholia* GERHARDI NIGRI & OBERTI de ORTO.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0014
DFG

plicare ſtuduit ſategitque ad curias Germaniæ (t) feudales, quæ innumeris quidem paraſangis diſtant à foris Longobardorum. (u)

§. 6.

Verum, etiamſi hæc omnia ita ſe habeant, atque Jureconſulti tantum non omnes vel extra orbes & circulos divagati fuerint, quæſiverintque laurum præſidiumque in ſudoribus transalpinis; ego tamen putaverim, mitius agendum eſſe cum Jureconſultis, quos ævi ratio liberat à culpa, cujus quidem rei haberi ſolent inter vulgus. Principio enim, *quod infrequens in Germania fuerit tractatio Juris feudalis*, (v) illud imputandum non eſt doctoribus, ſed indoli Germaniæ, Juriumque atque feudorum naturæ. Docent enim copioſa medii ævi monumenta, (w) Jureconſultos in Germania vel ideo non opus habuiſſe Juri feudali ſtudia conſecrare ex inſtituto, cum tum quidem vel nulla, vel raro certe extiterint *feuda Provincialia*, eodem, quo hodie, vinculo oblationis vel dationis cohærentia. Vetuſta rerum atque morum, quæ fuit olim Germaniæ fere univerſæ, facies hodieq; delineata eſt apud *Friſios* (x)

Hujus generis fatorum ratio Ima hæc eſt: quod feuda in Germania olim fuerint rariora.

(t) THOMASIUS *in Selectis feudalibus §. 69. 70.* FRIEDR. à SANDE *Comment. in Conſuetud. Geldr. Tr. 3. c. 1. §. 1. n. 4. 5.* JAC. KLEISTIUS *feudal. Conſtitut. Decad. III. n. 2.*

(u) PHILIP. KNIPSCHILD *de obligatione Domini & Vaſalli p. 72.* GEO. HINTZE *de Conjugio feudalitio c. 1. §. 6.* CHRIST. SCHROETERUS *de Vaſallo non ſtatu Imperii c. 2. §. 3.* ERICUS MAURITIUS *Poſit. Juris feudalis Controverſi poſ. 6.* HENR. COCCEJUS *Hypomnem. Jur. feudalis p. 15. ſq.*

(v) §. *1. h.*

(w) ABBAS URSPERGENSIS *ad a. 1198.* HERTIUS *de feudis oblatis P. 1. c. 1. §. 8.* EYBEN *de feudo Solari §. 11. Op. p. 654.* CASP. LERCH *P. 2. p. 27.*

(x) HUBERUS *L. II. digreſſionum c. 7. p. 546.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0015
DFG

Holsatos, (y) atque *Polonos*, (z) quorum regiones distributæ non sunt inter milites, neque salarii loco unquam inter Nobiles divisæ, (a) uti quidem apud Romanos in Italia.

§. 7.

Commendanda proinde est notitia de origine feudorum primæva.

Mallem ut in hoc argumento integrum esset nobis confugere ad scriptorem curatum atque fidum, sed exspectat adhuc hæc juris sparta Jureconsultum, qui ex instituto agat de origine feudorum atque Juris feudalis in Imperio atque Provinciis *Germaniæ*, & seorsim quidem, *in singulis regionibus & Principatibus*. Quod institutum longe diversum est ab illo, in quo ad nauseam usque omnes Interpretes desudant, quibus curæ cordique sunt primi natales, feudorum generaliores, quos nunc Romanis, (b) nunc Longo-

(y) FELTMANNUS *de feudis c. 1. §. 1. n. 4.*

De facie veteri Germaniæ.

(z) In Polonia enim nobiles Landsassii ad militaria servitia tenentur propter nexum, non Vasalliticum, sed subjectionis. HAUTEVILLE *Relation historique de Pologne p. 75.* STANISLAUS RITZISTANNOVICI *descr. statuum regni Poloniæ p. 38.* Pari ratione Germania olim originarios possessores Landsassiacos aluit, habuitque usque ad originem militiæ, qua nunc defenditur, mercenariæ, Nobiles milites non Vasallos, sed Subditos. ANTON. MATTHÆI *de Nobilitate c. 3*, LINDENBROGIUS *in Codice Legum p. 175. n. 73.* HUNDIUS *Metropoli Salisb. T. 1. f. 22.* LEIBNITIUS *T. 1. Script. Germ. p. 469.* Sigillatim *de Servitiis militaribus Nobilium Mecklenburgensium* memorabilis locus est apud MEURSIUM *in Historia Daniæ* atque MARSCHALCUM THURIUM *in Annalibus Herulorum.*

(a) RICHARD ZOUCHÆUS *descript. Juris feud. p. 51.* CORNELIUS NEOSTADTIUS *de successione feudi scripti Holland. p. 103.* JO. THOMAS MARINUS *de generibus & qualitate feudorum p. 17. sq.* JAC. BORNIUS *de transmutat. feudi in allodium §. 3.*

(b) HATTYSER *Anal. Jur. feud. p. 2.* JO. OLDENDORP. *Class. V. de action. benef. p. 566.* ZASIUS *in Epit. feud. P. 1. n. 1.* VULTEJUS *de feudis c. 1.* GUNDLINGIUS *in Gundlingianis P. 1. Sect. 1. P. 19.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0016
DFG

Longobardis, (c) nunc Gallis, (d) nunc Gothis (e) & Saxonibus, (f) nunc populis Septentrionalibus, (g) nunc omnibus gentibus, (h) nunc universis Germa-

 nis,

P. 15. n. 11. Verum etiamsi negandum non sit, recepisse Romanos milites veteranos in clientelas assignata illis certa prædii parte, quin & Romanos mutua inter Patronos & Clientes constituisse officia, atque limitaneos Alexandri Severi tempore coluisse agros; hæc tamen omnia ad probandam feudorum originem non sufficere evincunt STRUVIUS *Synt. Jur. feud. c. 1. aph. 3. n. 8.* RITTERSHUSIUS *Partit. feud. L. 1. p. 69.* CRAGIUS *de Jur. feud. L. 1. Dieg. 5.* MAGERUS à SCHOENBERG *de advocatia armata c. 15. §. 42.* GVIDO PANCIROLLUS *Thes. var. Lect. L. I. c. 90.* ARTH. DUCK *de Autor. Jur. Civ. L. I. c. 6. §. 2.* HOTTOMANNUS *Disp. de feudis c. 11. p. 16.* *An Feuda & Romanis?*

(c) Originem hujus vulgaris sententiæ palpabiliter ostendit THOMASIUS *de Originibus feudalibus §. 3. b. & in Selectis feudalibus §. 35.* Dissentiunt LUDWELL *Synops. Jur. feud. p. 3.* GRYPHIANDER *de Weichbildis c. 49. n. 2.* STRUVIUS *c. 1. aphor. 3. n. 4.* MUTIUS *Chron. Germ. f. 40.* PETRUS HEIGIUS *Quæst. I. n. 11.* PAULUS DIACONUS *de gestis Longobard. L. 3. c. 16.* Dum tamen ubique historiæ monumenta docent, apud Francos diutius feuda in usu fuisse, antequam Longobardi attigerint oras Italiæ. *An à Longobardis?*

(d) FR. CONNANUS *L. 2. Jur. Civ. c. 9. n. 6.* MOLINÆUS *ad Consuet. Paris. Tit. 1. pr.* CHOPPINUS *de commun. Gall. Consuetud. P. II. §. 4. n. 4.* Quibus contradixerunt STRUVIUS *Synt. J. F. c. 1. aph. 3.* RITTERSHUSIUS *Partit. feudal. L. 1. p. 70.*

(e) PROCOPIUS *Hist. Goth. L. 1. p. 142.* CASSIODORUS *L. XII. p. 391.* Dissentiunt GIPHANIUS *de feud. Jur. c. 2.* ZIEGLER *Annot. ad* GROTIUM *de J. B. & P. L. 2. c. 7. n. 21.*

(f) HACHENBERG *Germ. Med. Dissert. 9. §. 2.*

(g) SCHILTERUS *ad Rubr. Jur. Allem. p. 8.* CRAGIUS *L. 1. Dieg. 5.* HORNIUS *Jurispr. Feud. c. 1. §. 16.*

(h) ANTONII *Disp. feud. 1. th. 1. lit. C. in f.* ERICUS MAURITIUS *Exercit. de Principiis Juris publ. Corol. 7. Posit. J. F. Controv. Dec. I. Pos. 4. Consil. Marpurg. Vol. 2. Cons. 29. n. 36.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0017
DFG

nis, (i) nunc denique exordio mundi (k) atque Israelitis vindicant atque tribuunt. Hospites plerumque hi sunt in patria, atque in aliena provincia sapere malunt, quam in domestica.

§. 8.

Non intelligitur origo Feudorum extra Germaniam.

Si tamen dicendum, quod res est, primæva feudorum origo quærenda est extra Germaniam, sed danda tamen est Germanis, & speciatim *Francis*, (l) qui post tot gentium migrationes (m) fixas sibi constituerunt sigillatim sedes in occupatis provinciis, (n) atque milites suos prosecuti sunt non quidem auro, sed prædiis, ut illos excitarent ulterius ad facta atque servitia militaria, (o) insimulque iisdem libertati maxime adsvetis sub specie beneficii servitutis jugum imponerent. (p) Ex Franciæ regno in Italiam

(i) COCCEJUS *Hypomnem. J. F. tit. 1. §. 5.* JACOB ORLOSHAUSEN *Prælud. ad respons. Jur. n. 29.* CASP. ACH. BECKIUS *de Paribus Reip. Ministri & Vasalli Juribus c. 4.*

(k) NIELLIUS *Diss. Jur. feud. I. Th. 1.* BITSCHIUS *ad Consuet. feud. L. 1. Tit. 1. §. 2.* SCHRÖTER *in arb. feud. diss. 1. Th. 7.*

(l) THOMASIUS *diss. de Origin. feudal. §. 5. sq.* HERTIUS *de feudis Obl. P. 1. th. 2.* FRANTZIUS *Orat. de Origine feud. p. 6.* ITTERUS *de feudis Imperii c. 1. §. 7. 8. 9.* ALTESERRA *de Origine & statu feudorum pro moribus Galliæ c. 1. 2.* HULD. ab EYBEN *de orig. illustris regulæ c. 2.*

(m) JO. WOLFG. TEXTOR *de feudis Imperii propriis c. 1. §. 2.*

(n) VALESIUS *T. 1. Rer. franc. L. 4. a. 456. p. 186.*

(o) GREGOR. TURONENSIS *L. 5. præf.* LUITPRANDUS *Chron. L. 5. c. 14.* DU CHESNE *Glossar. medii ævi voce Miles.* RHETIUS *Comment. ad Jus feud. L. 1. T. 1. n. 26.* PERE DANIEL *Histoire de la France T. 1. diss. 3. p. 359.* WENDELINUS *in Natali solo Legum Salicarum c. 3. 4. 5.* KNICHEN *de Jur. Territ. c. 1. n. 205.* GAILIUS *Obs. 158.*

(p) THOMASIUS *de Orig. §. 13. p. 45.* TITIUS *Jur. Priv. L. XI. c. 1. §. 10.* Dissentiunt TEXTOR *d. l. c. 1. §. 8. sq.* BOXHORNIUS *de*

liam & regnum Longobardicum deinde transierunt hæc instituta, (q) & Longobardi non solum & Gothi sed reliquæ gentes in suis ditionibus secutæ sunt (r) præeuntes Francos.

§. 9.

In ipsa Germania feudalis indoles demum (s) innotuit ævo franco Carolingico, sed tantum tamen abest, ut illa cum natura feudorum transalpina sit harmoniaca, ut potius integris parasangis ab illa distet, atque contrarietur è diametro indoli feudorum Romanorum militarium atque propter servitia inter milites divisorum. Cum enim finitis gentium migrationibus (t) atque non solum repressa-

Sed specialim in Germania.

B 3 liarum

de trapezitis p. 8. HACHENBERG *Germ. Med. Diss. 9. p. 325.* SPELMANNUS *Glossar. voce Capitaneus.* Speciatim de Francorum studio libertatis exempla & rationes recitarunt FR. IRENICUS *German. Exeg. L. 4. c. 27.* TURONENSIS *L. 2. c. 27.* HERTIUS *Notit. veteris regni Franc. c. 3. p. 55.* MARCELLINUS *L. 20. rer. Rom. c. 10.*

(q) THOMASIUS *Select. Juris feud. §. 35. & 64. Leges Allemannorum, Burgundionum aliorumque apud* BALUZIUM *T. 1. f. 67.*

(r) HIERON. BIGNONIUS *in Notis ad* MARCULPHUM *apud* BALUZIUM *T. 2. Capitul. p. 933.* AIMONIUS *L. 1. c. 14.* BALUZIUS *T. 1. Capitul. p. 180.* CANGIUS *Glossar. p. 1106.*

(s) Sponte corruit traditio illorum, qui ex TACITI *capite 14. de M. G.* sibi natales feudorum fingunt ipso, quo Germani adversus Romanos militarunt, Seculo Julio. STRUVIUS *Synt. J. F. aph. 3. n. 3.* Feuda sunt symbola fixæ possessionis, qua gavisi non sunt Germani ante Seculum quintum. Docent hoc mappæ Germaniæ VELSERI atque PEUTINGERI, tum & LAZIUS *de Migrat. Gent. f. 20.* CHRIST. PHILIP. à WALDENFELS *Select. Antiquit. L. 9. 10.* JO. GEROP. BECANUS *in Origin. Antwerp. L. 7.* Legenda imprimis hic est *Cel.* JAC. CAROLI SPENERI *Observatio I. Hist. feud. §. 4.*

An in Germania vetustissima?

(t) CONRAD PEUTINGERUS *Epit. de Gentium Emigrationibus p. 103.* SCHURTZFLEISCH *Diss. Hist. Civilis Diss. 17.* HERTIUS *de Populis Germ. p. 71.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0019
DFG

liarum jure, maxime Merovæi atque Francorum auxilio (u) contritis Romanorum viribus (v) & occupatis Exterorum provinciis, (w) verum etiam redacta in ordinatam Rempublicam Germania, (x) cives noſtri pacem, bellumque propter ſubjectionis nexum coluerint exercuerintque atque ſinguli terras ſuas allodiales, (y) quas Salicas (z) vocarunt Franci, poſſederint; fruſtra quis inter

(u) GREGORIUS TURONENSIS *L. 2. c. 9. 27.* QVERCETANUS *Scriptores rer. Francic. T. 2. p. 6.* PONTANUS *Orig. Franc. L. 3. 4.*

An in Germania Franco-Carolingica?

(v) Legendi hic ſunt JORNANDES, AGATHIAS, PROCOPIUS, Speciatim de Francis, Gothis, Herulis, atque Longobardis Italiæ regiones ſibi vindicantibus VALESIUS *Rer. Franc. L. 3. p. 139.* CASSIODORUS *Ep. 7. 8.* ENNODIUS *Panegyri Theod. p. 16.* WARNEFRID *de Geſtis Longob. L. 4. c. 47.*

(w) Speciatim in Gallia, Hiſpania, Anglia atque Italia. COINTIUS *Annal. Eccleſ. a. 1048.* ISIDORUS *ad a. 504.* BEDA *Hiſt. Eccleſ. L. I. c. 11.* SIGONIUS *ad a. 415.*

(x) Quæ ſub Francis coaluit perduravitque usque ad ſobolis Carolingicæ interitum. M. EZERAI *Hiſtor. Francic. T. 4. f. 56.* DANIEL *Hiſtoire de France p. 6. ſq.* SCHATEN *Annal. Paderb. p. 242. Chronicon Leodienſe* apud LABBEUM *Biblioth. T. I. p. 336.*

(y) STRYCKIUS *de Jure Allod. Principum q. 1. n. 14.* SCHILTER *Ex. ad ff. §. 23. Ex. 4. Cel.* STRUVIUS *de Allod. Imperii §. 11.* ANT. DOMINICUS *de Prærogat. allod. c. 1.* JO. STIERNHOECK *de Jure Sveonum vetuſto p. 277.*

Quid ſignificet vox ſalica?

(z) BALUZIUS *T. I. p. 101. Lex Bajuar. Tit. 2. c. 1. Lex Salica Tit. 62. p. 321. 376. ſq. T. 11. p. 144. 480.* PITHOEUS *Gloſſar. ad L. Salicam Tit. 62.* COCCEJUS *Orat. de Terra Sal. p. 12.* Addunt plerique, allodia venire æque ſub nominibus bonorum paternorum, avitorum atque aviaticorum, verum fallit hoc axioma, atque pro bonis aviaticis in Legibus legunt curatiores bona aduatica. THOMASIUS *Sel. feud. §. 16. 17. 18. 19.* Id tamen conſtat, Salicis prædiis opponi bona fiſcalina ſive feudalia. GOLDASTUS *Rer. Allem. T. 11. p. 59.* SCHILTER *Diſſ. de bonis laudemial. §. 13.* MARCULFUS *in formulis*

ter privatos finxerit in Germania nexum beneficiarium, præter illum, quem Reges Franci & Carolingici requisiverunt à fidelibus suis atque curiæ administris. (a) His enim terræ fisci regii (b) in beneficia concessæ sunt atque collatæ, adeo ut *Provincialia Feuda* in Germania ex hoc ævo

mulis L. 1. c. 2. CHIFLETIUS *Vindic. Hisp. c. 5. p. 45.* SANDERUS *in Brabantia sacra c. 2. p. 10.* DU FRESNE *Glossar. voce Fiscus. conf. lit. b. sq. h.*

(a) Primas lineas duxit ævo Merovingico *Clodovæus*, quem secuti sunt successores, præcipue *Pipinus* atque *Carolus M.* Ante electos enim Reges Francia feuda ignoravit scivitque tantum allodialia. Sub Regibus vero, extra Germaniam prædia bello acquisita divisa sunt inter Duces & milites, atque tum beneficiario Jure sub Lege fidei atque servitii ulterius exhibendi terræ ferro ac Marte occupatæ militibus sunt exhibitæ, tum etiam relictæ devictis gentibus sub nexu feudali atque Leodium. ALTESERRA *de feudis Galliæ c. 1. p. 4.* GREGORIUS TURONENSIS *L. 4. c. 45. Annales Loiseliani a. 748.* MONACHUS S. GALLI apud DU CHESNE *T. 2. p. 221.* In ipsa Germania vero cumprimis officiis Palatinis Regum Francorum & Carolinorum cohæsit nexus Clientelaris. DU FRESNE *Glossar. Med. ævi voc. Comes Palatii, Mansionarius, Capellanus.* Adeo ut frustra agant, qui unam eandemque in oris transalpinis atque Germanicis fingunt sibi indolem regiminis. De feudorum natura Longobardica atque *Statu Italiæ* sub Carolingicis legendi sunt SIGONIUS *de Regno Ital. a. 757. f. 88.* BOCCALINI *Observationi sopra il L. 2. degli annal. di Tacito p. 149.* FRANTZIUS *de Orig. & Progress. feud. §. 15.* ERYCIUS PUTEANUS *Histor. Insub. L. 4. c. 7.* EGINHARD *de vita Caroli c. 5.* De *statu Germaniæ* vero feudali sub Carolinis ALTESERRA *de Orig. feud. c. 8. Col. Dn.* MENCKE *dissert. de vi super. Territor. §. 8.* HACHENBERG *de re feud. veterum Germ. Diss. 9. §. 17. p. 243.* HINCMARUS *de Officiis Palat. & admonit. ad Episcop. T. 11. Oper. p. 223. n. 24.* MYLERUS *Archolog. c. 8. §. 3.* LEHMANNUS *Chron. Spir. L. 2. c. 16. p. 82.* LIMNÆUS *Notit. Regni Galliæ L. 4. c. 8. lit. P.* CONRING *de Ducibus & Comit. J. R. G. §. 13. 14.*

De feudis apud Francos extra Germaniam

Atque in Germania.

(b) Quæ nostro ævo feuda nunc dicuntur, his Francorum ævis ideo vocata *sunt feuda.*

Bona fisci

ævo vocanda sint curialia, officialia, palatina sive ministerialia. (c) *Feuda vero Principatuum Germaniæ* in hoc Carolino ævo fuerunt *feuda Cameralia Imperii Francici*, (d) *Cæsarea beneficia, personalia atque revocabiliæ.* (e) Et illud quidem Jure belli atque victoriæ, quo Carolus M. Imperator devicit singulos Germaniæ Principes atque Populos. (f)

§. 10.

Quæstio est de origine F. in Imperio Germanico.

Verum haud sufficit rescivisse, ex historiæ monumentis, quæ generatim dicenda sint de feudorum origine extra Germaniam atque in Germania speciatim; princeps quæstio eaque pragmatica est de origine feudorum in Provinciis atque Systemate Imperii Germanici. Et hic quidem summatim adnotandum est, Imperium Germanicum hodiernum initium cœpisse Seculo decimo, quo extincta stirpe Carolingica regnatrice (g) Principes Germaniæ

ta sunt *bona fisci, fiscalina, sive bona de munere regio. Annales Metenses ad a.* 847. BIGNONIUS apud BALUZIUM *T.* II. *p.* 875. SCHILTERUS *Comment. ad rubr. Jur. F. Allem. §.* 2. MABILLON *Form. Andeg. n.* 45. *App. Supplem. n.* 85. GREGORIUS *L.* 8. *c.* 22.

(c) HIERON. BLANCA *in Comm. rerum arrog. p.* 734. *Capitularia Ludovici II. T.* 4. *c.* 4. TURONENSIS *L.* 9. *c.* 20.

(d) EYBEN *de Orig. Regulæ Principes tantum posse in territor. &c. Oper. f.* 754. BROTUFF *Chron. Anhalt. L.* 1. *c.* 13. COCCEJUS *Jur. publ. c.* 3.

(e) BOECLER *de Rebus gestis Sec.* 9. *p.* 135. OLDENBURGER *Not. Germ. P.* 1. *disc.* 20. *n.* 14. HERMES *fasc. Jur. Publ. c.* 30. EHRENBACH *Archol. c. VI. n.* 5. 6.

(f) BROWER *Annal. Trev. L.* 7. *p.* 371. CRUSIUS *Annal. Suev. P.* 1. *L.* 8. *c.* 9. CRANTZIUS *Vandal. L.* 2. *c.* 24. WITTEKINDUS *Annal. p.* 634.

(g) HERMANNUS CONTRACTUS *a.* 911. *p.* 311. AVENTINUS *L.* 4. *Annal. Bojor. p.* 375. WILHELMUS MALMESBURIENSIS *de Gestis Regum Angl. L.* 1. *c.* 3. LUITPRANDUS *Coætaneus scriptor. L.* 2. *Histor. c.* 7.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0022
DFG

maniæ, quæ tum complexa erat *septem Provincias*, iterum ad territorialem supremátum postliminii Jure reversi factique sunt sui juris. (h) Quælibet provincia, sigillatim *Bojorum*, (i) *Suevorum*, (k) *Saxonum*, (l) *Thuringorum*, (m) *Francorum*, (n) *utrorumque Venedorum*, (o) *Megapolitanorum* (p) atque *Bohemorum* (q) peculiarem constituit rempublicam, adeo ut quævis nunc Domino suo paruerit fueritque instructa Principe suo territoriali. Et perdurare potuissent in his institutis Principes, nisi consultum duxissent, sub Rege à *Francis* (r)

(h) REGINO *ad a.* 889. *Annales Metenses ad a.* 880. SIGEBERTUS *a.* 914. WITICHINDUS *L. 1. Annal. p.* 634. GUNDLINGIUS *de statu Germ. sub Conrado I. §. 6.* LUDEWIG *de Conrado I. cap. 4. p. 42.*

(i) *Annales Fuldenses ad a.* 883. LUITPRAND *L. 2. c. 7.* DITMARUS MERSEBURGENSIS *apud* LEIBNITIUM *p.* 330. OTTO FRISINGENSIS *L. 6. c. 18.* AVENTINUS *L. 4. p. 292. 293.*

(k) ECCARD *de Cas. S. Galli c. 2.* CONTRACTUS *a. 919. Chronicon Austr. apud* FREHERUM *p.* 312. LEHMANN *Chr. Spir. L. 2. c. 26. p. 84.*

(l) *Chronicon Rythmicum apud* LEIBNITIUM *T. III. Rerum Brunsv. c. 9.* EVERHARDI *Chronic. apud Dn.* LEUCKFELD *Antiquit. Gandersh. c. 29. p. 379.* WITICHINDUS *Annal. p. 634.*

(m) REGINO *ad a.* 809. SIFFRIDUS *apud* PISTORIUM *L. 1. a.* 888. *p.* 688. PAULINI *Annales Isenac. p.* 4.

(n) *Annales Hildesh. a.* 912. DITMARUS WITICHINDUS, MUTIUS, GOBELINUS *c. a.*

(o) HELMOLDUS *Chron. Slav. L. 1. c. 1, 7, 9.* DUBRAVIUS *Histor. Bob. L. 1. pr.* ALBINUS *Chron. Misn. Tit. 6.*

(p) AD. BREMENSIS *L. 2. Hist. Eccl. c. 3.* COCCEJUS *Jurispr. publ. Sect. V. p. 72.* CRANTZIUS *Vandal. L. 2. c. 30.*

(q) ÆN. SYLVIUS *Hist. Boh. c. 3, 4.* GOLDASTUS *de Regno Bohem. L. 3. c. 2.*

(r) LUITPRANDUS *apud* REUBERUM *p. 105.* MEIBOMIUS *T. 1. Rer. Germ. p. 654.* LEIBNITIUS *Script. R. B. p. 325.* ALBERTUS STADENSIS *a. 913. p. 98.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0023
DFG

electo ac nominato, coire invicem atque ipsius imperio fidem clientelarem addicere, sed salvo Potentatu domestico territoriali. (s) Sub *Conrado* itaque *Imo* (t) atque *Henrico Aucupe* (u) Imperium Germanicum in unum Systema coaluit constituitque unum corpus ex recensitis Germaniæ Provinciis. Sola *Vandalia* (v) vel *Slavia* (w) rectius, cum *Borealis* (x) tum *Orientalis* (y) *Megapolis* atque *Bohemia* libertatis suæ diutius (z) tenax esse maluit, fecitque ab hoc corpore in Germania discessum.

§. 11.

(s) AVENTINUS *L. 4. p. 290.* LEHMANN *Chron. Spir. L. 2. c. 47.* COCCEJUS *Jur. publ. C. 15. §. 43.* GIOVANNI *Germ. Princip. p. p. 90. §. 33. Celeberrimus Dn.* ZSCHACKVITZIUS *in Anonymianis Obs. de Conrado I.*

(t) CONRINGIUS *Dissert. de Ducibus & Com. Germ. §. 19. sq. Exc.* STRUVIUS *Propemt. de diversis Periodis Juris publici p. 2.* SELDIUS *apud* GOLDASTUM der *Polit.* Reichs-Händel *P. V. p. 179.*

(u) DU CHESNE *T. 2. Script. Rer. Franc. p. 588. Chronicon Laurishamense apud* FREHERUM *p. 69. Chronicon apud* LAMBECIUM *Bibl. Vindob. c. 5. p. 349. Monachus Hamersleb. apud* LEIBNITIUM *d. l. p. 707.* SCHARDIUS *de Jurisd. Imper. p. 179.*

Vandalia est Provincia Germaniæ.

(v) Quam Venediam sive Slaviam promiscue appellant CRANZIUS *in Vandalia*, LYMNÆUS, & ceteri, quibus indubie Imposuit *Speculum Saxonicum L. 3. art. 62.*

(w) ALBINUS *Chron. Misn. Tit. 4. p. 114.* BEAT. RHENANUS *Rer. Germ. L. 3.* CONRING *de finibus Imp. L. 1. c. 16.* SCHURTZFLEISCH. *de Rebus Slavicis §. 7. 8.*

(x) WERLHOFF *Notit. Imp. enucleata L. 1. c. 2. §. 16.* BANGERTUS *ad Helmoldum L. 1. c. 2.*

(y) CRANTZIUS *Vand. L. 2. c. 19.* CROMERUS *Rer. Pol. L. 1. c. 2. 5.*

Sed diutius coire noluit in Systema Imperii G.

(z) Et quidem Mecklenburgenses Reges & Principes, ab Imperatoribus & vicinis propterea sæpissime bello lacessiti, nexum Imperii in Germania plenum demum agnoverunt Seculo decimo quarto: LIMNÆUS *Jur. publ. L. 5. c. 12.* DUBRAVIUS *Hist. Boh. L. 22. p. 576.* MVNSTERUS *Cosmograph. L. 3. f. 765.* CUSPINIANUS *in Vita Caroli IV.*

§. 11.

Hæc si intellexeris curate filum habebis Ariadnes, quod tibi instar indicis esse poterit in hoc argumento. Cum enim in Imperio Germaniæ feuda vel sint Principatus sive Imperii Reiche-Lehen/ vel Provincialia, Landsacciaca sive mediata, Landsäßige Lehen; facile nunc in utroque argumento instructus eris præsidiis, ad solvendos nodos, quos Gordianos vocare soleverunt Interpretes vulgares. a) *Feuda enim Imperii Germanici* orta sunt Seculo decimo, quo Principes Germaniæ, (b) jure clientari quodam Imperio

Feuda vel sunt Imperii vel Provincialia.

C 2

IV. a. 1348. Bohemiæ vero Reges in solo Germaniæ à Jure Civitatis Imperii abhorrentes sæpius quidem ad Clientelam Imperii suscipiendam coacti sunt ab Imperatoribus, sed non defuit illis occasio, se nunc iterum ab hoc vinculo divellere, iterumque ad Jura civitatis Germanicæ accedere. Legendi hic sunt COCCEJUS *Jur. publ. S. 4. c. 3. p. 66. §. 54. sq.* & *illustris Dn. à* LUDEWIG *Opusc. XV. T. II. de Jure suffragii R. Bohemiæ novissime instaurato p.* 582.

(a) JO. GEO. BESOLD. *de Orig. feud. §. 5.* SCHWENDENDÖRFER *de Orig. & Autorit. Juris feud. §. 3.* SVEVUS *d sp. 1. feud. §. 2.*

(b) *Vide §. 10. lit. i--q.* Soli Duces Mecklenburgenses hoc habent instar prærogativæ, quod nulla Germanorum vi adacti, nulla necessitate compulsi, sed liberrima voluntate adducti demum Imperiales fasces ultro subierint, maluerintque esse diutius sui arbitrii suæque potestatis, quam Juris Imperii Germanici. Ad Caroli IVti itaque ævum usque domesticis Legibus vixerunt, libertatem tuiti sunt atque cum exteris fœdera adversus invasores pepigerunt, sed tantum abest, ut his territorialibus Juribus Caroli VIti ævo renunciaverint, ut potius salvo omni Jure cum circa secularia, tum circa sacra majestatico Ducatum in Feudum Carolo quarto *obtulerint* dederintque Cæsari nihil præter nexum clientelarem. *Diploma Investituræ apud* LEIBNITIUM *C. J. G. D. T. 1. p.* 207. MARESCHALCUS THURIUS *Annal. Herul. L. 6. c. 1.* CRANTZ *L. 8. Vand. c. 2, 3. L. 9. Sax. c.* 17. CHYTRÆUS *Saxon. L. 5. p.* 137. LINDENBERG *Chron. Rostoch. L. 2. c. 8.* MYLIUS, LATOMUS, CHEMNITIUS *Chron. MSS.*

De nexu feudali Ducatum Megapolitanorum Imperio.

De nexu feudali Electoratum.

rio *Conradi*, *Henrici* atque *Ottonum* fidem dederunt (c) obtuleruntque Ducatus suos atque Provincias in clientelam, salvo tamen in singulis Provinciis jure territoriali pro-

Et Pomeraniæ.

MSS. a. 1348. BURGOLDENSIS *ad J. P. P. I. disc.* 20. *p.* 545. BOECKELIUS, *JCtus Mecklenburgicus, de Jure Protectionis Client. P.* 2. *c.* 1. *p.* 36. *n.* 25. Pomerania vero, quæ olim paruerat Megapolitanis, vinculum feudale suscepit agnovitque jam Seculo duodecimo, quo *Fridericus I.* Duces adscripsit Imperii ordinibus. CRAMERUS *Hist. Pom. Eccl. L.* 2. *c.* 4. HERM. BONN *Chron. Lubec. L.* 2. RANGO *in Pomerania Diplomatica p.* 267. SAXO GRAMMATICUS *Rer. Dan. L.* 14. *p.* 302. CONRING *de finibus Imperii p.* 260. Verum quid de *Marchia Brandenburgica*, quam alii vocare gestiunt primariam Vandaliæ provinciam? sine dubio hæc Seculo decimo nacta est indolem beneficii Cæsarei, cum Marchiones fuerint Cæsarum Ministeriales, in id animum defigentes, ut Obotritas præcipue ab excursionibus arcerent. ANDR. HOPPENRODIUS *Annal. Gernrod. apud* MEIBOMIUM *II. R. G. p. p.* 417. FABRICIUS *Orig. Sax. L.* 2. *p.* 115. SAGITTARIUS *de March. Brand. th.* 9. *Cl.* HECHT *diss. de Gerone adversm Coccejum & Ludewigium Disp.* 2. *illustris* GUNDLINGIUS *de Henr. Aucupe §.* 22. *p.* 157. *Excell. Dn.* GRIBNER *Progr. de Jure Civitatis Germanicæ Lusatiæ compet.* apud HOFFMANNUM *V. II. Script. Lusat. p.* 273. Supereſt *Ducatus Holsatiæ* ac *Luneburgensis*. Uterque vero demum divulsis *Henrici Leonis*, *Saxoniæ atque Bavariæ Ducis*, territoriis, natales suos cœpit celebravitque, cum utraque regio pertinuerit olim ad Saxoniam Cisalbinam. Sub *Fridericis* itaque binæ regiones indolem specialis Ducatus feudique recogniti sunt consecutæ. De *Holsatia* chartas clientelares exhibuit LEIBNITIUS *Cod. Dipl. T. I. p.* 431. HAMMELMANNUS *Oldenb. Chron. a.* 1474. De *Brunsvicensi* Ducatu MEIBOMIUS *T.* 3. *R. G. p.* 206. FRIDER. LUCA in Fürſten-Saal *p.* 392. *Cl. Dn.* LUNIG *R. A. P. spec. T.* 1. *§.* 1.

Marchiæ.

Ducatus Holsatiæ & Brunsvicensis.

(c) SIGEBERTUS GEMBLACENSIS *a.* 914. GUNDLINGIUS *de Henr. Auc. p.* 75. HERTIUS *de Prud. Civili p.* 193. SCHURTZFLEISCH *de eo quid exped. Imperio §.* 9. JO. SAM. STRYCK *de Jure Allod. Principum c.* 3. *§.* 10. 11. 12. 13. *sq.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0026
DFG

proprioque dominio. (d) Non itaque feuda Principatuum sunt feuda administratoria atque cameralia, (e) sed recognita atque oblata, (f) quæ liberiorem indolem habent atque naturæ beneficiorum Longobardorum prorsus contrariam. (g) Quamvis negandum non sit, quod Cæsares seculis sequentibus atque præcipue Seculo duodecimo (h) obser-

An Feuda Imperii Proprietatis feuda?

(d) Unde feuda Proprietatis. Quæ utilia dominia connexa habent cum directis. MOD. PISTOR *Vol. 2. conſ. II. n. 8.* ANTONIUS *Diſp. feud. 1. p. 17. c.* CANTARELLUS FABER *traité des fiefs L. 1. c. 7.* TH. CAGIUS *de feud. Angl. L. 2. T. 17.*

(e) Commendanda hic eſt *Cl. Dn.* WOLFFII *Profeſſoris Jurium Halenſis de feudis Imp. ſub Francis diſſ. 1.* GOEBELII *JCti Helmſtadienſis Cl. diſp. de Juribus Majeſtaticis c. 1. 2.*

An oblata?

(f) GEO. AD. STRUVIUS *de feudo oblato c. 3.* HERTIUS *de feudis oblatis T. II. Op. §. 7.* MONZAMBANO *c. III. §. 4. illuſtrat Dn.* THOMASIUS *Diſſert. Jurid. Lipſ. Diſſ. 12. p. 801. & in Scholiis ad* MONZAMBANUM *c. III. 274.* PUFENDORFF *diſſ. de republ. irregulari §. 12. 13.* LUDEWIG *in Comm. A. B. T. I. p. 80. 696. Germ. Princip. §. 33. p. 91.* RACHELIUS *Diſſ. de Capitulat. c. 6. th. 9.* Diſſentiunt KULPISIUS, PACIFICUS à LAPIDE, ITTERUS, & nuper JO. WOLFG. TEXTOR. Quamvis curate vix diſſentiant, cum vel feuda Imperii *propriis* annumerent, vel ipſis etiam *oblatis*, ſed ducta origine ab aliis Seculis & rationibus. *Cel. Dn.* SPENER *P. 3. Jur. Publ. p. 116. k. ſq. p. 142. d.* Illud certum eſt ex RADEVICI loco *L. 2. c. 5. 7.* ne tanti quidem luminis accedere feudis oblatis *in Imperio Germanico.*

(g) JO. NIC. HERTIUS *de feudis ex illis, quæ data & oblata dicuntur mixtis p. 9. ſqq. Dn. à* LUDEWIG *Comm. ad A. B. T. 1. p. 809.* D. CHRIST. HANACC *de eo quod refert Fr. eſſe datum vel oblatum p. 12. ſqq.*

(h) *Fridericus I.* ſpeciatim id egit, quo mores Clientelares Germanorum cum Imperii Germanici formula coævos atque conformes extingveret, negligeret, introduceretque formulam Imperii Carolingici atque conſvetudines Juris feudalis Longobardici. In hunc finem *regalia*

observantiæ feudalis Germanicæ in Principatibus obliti fere fuerint, fategerintque Imperii Germanici feuda modulo feudorum ævi Francici atq; Longobardici metiri. (i)

§. 12.

Origo Feudorum Provinciarum à Sec. XII.

Quodsi vero nunc quæstio sit de *Feudis Germaniæ Provincialibus*; generatim hic sufficit asseruisse, illa apud Germanos incognita fuisse, in illa, qua nunc constituta sunt, natura atque indole ad *Seculum usque duodecimum*. In primis enim Seculis in Germaniæ Provinciis feuda fuerunt saltim aulica (k) sive ministerialia, (l) militaria saltim

Feudorum Imperii facies ævo Friderici I.

galia Principum sibi suæque Jurisdictioni asseruit, venditavitque justitias sive Jura territorialia pro *beneficiis Imperialibus*, adeo ut haud difficile judicandum sit de fatis *Henrici Leonis* qui ex Jure Longobardico accusatus est criminis feloniæ. ÆGID. GELENIUS *L. c. de Magnitudine Coloniæ Syntagm. 7. p. 73.* SCHATENIUS *L. 9. Annal. Paderb. a. 1180. p. 850.* qui exhibuerunt formulas proscriptionis. Accedit, quod idem Cæsar Ducatus atque Provincias *Henrici Leonis* communi feudali Jure iterum in *Philippum Colonienſem*, *Bernhardum Anhaltinum Comitem*, *Ottonem Wittelsbachium* aliosque contulerit, quamvis proscriptus Dux sæpius exceperit *se non convictum damnari atque pœna dignum judicari inique.* ARNOLDUS LUBECENSIS *L. 2. Chron. c. 16. c. 24. §. 9.* GOBELINUS PERSONA *æt. VI. Cosmodr. c. 60.* NAUCLERUS *Chronogr. Vol. II. Generat. 40. p. 855.* PALATIUS *Vol. II. de Vitis Pontif. p. 630.* GELENIUS *Vita Engelb. L. 1. p. 27.*

(i) Faciunt huc Cæsarum doctrinæ *de requisitione literarum feudalium, de jure feudi aperti, de crimine feloniæ* atque *inutilitate promiscuæ successionis Pariumque Curiæ.* JO. PETR. à LUDEWIG *Comment. A. B. II. p. 977.* JAC. CAR. SPENER *Jur. Publ. Imperii Germ. P. 2. p. 134--143.* TEXTOR *de feudis Imperii propriis c. 3. p. 15.--37.*

(k) LEHMANN *Chron. Spir. L. 5. c. 3. Annales Corbejenses a. 1047. p. 304.* LEIBNITIUS *Cod. Dipl. P. 1. n. 78. p. 151. Charta de Ed. editione Romana §. 6.* BROWER *Ann. Trev. L. XV. p. 96.*

(l) Unde frequens apud Scriptores est memoria *Quatuor virorum, Da-*

(m) tamen Landsassiaca fuerunt certe nulla (n) vel prorsus pauca. (o) Quid enim opus fuit Nobilibus impertiri prædia atq; proemia, qui subjectionis intuitu sibi (p) concreditam esse putarunt salutem Provinciarum, adeoque militari arte invasorum conatus retundere non destituerunt? Quodsi vero Principibus placuerit, Milites Nobiles atque Ministeriales suos prosequi præmiis, hæc tamen indulgentia nullum constituit nexum Vasalliticum, immo si constituisset,

piferi, Rincernæ, Mareschalli atque *Camerarii*, qui Principibus erant ab officiis *Palatinis*. SCHATENIUS *Annal. p.* 882. SCHILTER *Comment. ad Jus Allem. c.* 90. §. 3. *p.* 362. *c.* 112. *sq.* SANDE *de feud. Geldr. præf.* 5. JO. RHODE *Chron. Brem.* 271. Ab officiis vero *militaribus* fuerunt Nobiles sed sine nexu Vasallitico atque stipendiario. Quodsi itaque in his ævis *Vasallorum, Ministerialium, militarium* & *Litonum* fiat mentio, curate *Nobiles, Milites subditi*, Allodialium plerumque possessores distinguendi sunt à *Vassis* siue *Ministerialibus sagatis*, qui præstiterunt feudalia servitia castrensia. MAGERUS *de Advocat. armata c. V, n.* 451. Rationes atque exempla referunt MEIBOMIUS *Notis ad Origines Marcanas p.* 413. HUNDIUS *Metrop. Salisb. T. I. f.* 22. HEIDERUS *in Deduct. Lindav. p.* 604. MARQV. FREHERUS *Orig. Palat. L.* 1. *c.* 10. SCHILTER *Jur. Allem. p.* 440. *De feudis aulicis in Provinciis Principum.*

(m) KYLLINGER *de Ganerbiis Castrorum disc. III. n.* 129. SCHRADER *Tr. feud. P. II, c.* 4. Secus vero in Italiæ provinciis, de quibus res est SVETONIO c. XIII. LAMPRIDIO *in Alex. Severo c.* 58. BIGNONIO *apud* BALUZIUM *T.* 2, *p.* 933.

(n) DU FRESNE *Glossar. voce Miles, Ministerialis.* CASP. ACH. BECKIUS *de Paribus Reip. Ministri & Vasalli Juribus p.* 13. *illustris* LVDEWIGIVS *Comment. A. B. T. II. p.* 992. *Cel.* SPENER *J. P. T.* 3. *p.* 8.

(o) ZYLLESIVS *defens. Abbat. p.* 30. *p.* 52. ALB. KRANTZIVS *Metrop. L.* 1. *c.* 2. Exempla de *infeudatis* militibus recensent TOLNER *Cod. Dipl. n.* 18. 27. WIPPO *apud* PISTORIVM *T.* III. *p.* 435 *Vita* GODEHARDI *apud* LEIBNITIUM *c.* 3. BROWER *T.* 1. *ann. Trev. L.* 10. *n.* 39. *p.* 484.

(p) §. 6. *h.*

ſtituiſſet, beneficiatum nexum conſtituiſſet. Illud itaque tenendum eſt, Principes in Territoriis habuiſſe tantum *Subditos*, (q) *Cives* (r) atque *Milites Nobiles*, (s) qui vel beneficio Principum prædia donationis titulo acquiſiverunt (t) vel adminiſtratorio nomine iisdem præfuerunt, (u) vel allodialium præcipue fuerunt poſſeſſores. (v) Et in

De Vaſallorum vinculo Subjectionis.

(q) Quæ doctrina vel ideo eſt ardui momenti, cum ex illa robur ſuum accipiat axioma: *Vaſallum ſimul eſſe ſubditum.* Cum enim Subjectionis vinculum vetuſtius ſit Vaſallagio, quis quæſo eſt, qui cum ratione negaverit: *Vaſallagium inferre homagium ſive ſubjectionem.* Quæ regula infallibilis eſt in *territoriis clauſis*, in quibus *plenarius* Landſaſſiatus obtinet & vi omnimodæ Superioritatis omne quod in Territorio eſt, eſſe debet de Territorio. *Exc.* MENCKENIUS *de foro comp. Vaſallorum ſimultaneæ inveſtit. Sect. 2. p. 30. §. 12. 13.* HENR. HILDEBRANDUS *de Vaſall. infer. Subj. §. 3. p. 7.* HORNIUS *Jurispr. feud. c. 13.* KLOCK *de Contrib. c. 20. n. 296.* De *Pomeraniæ* evolve MEVIUM *P. 2. Dec. 325.* De *Marchia* LIMNÆUM *J. P. L. 6. c. 4. n. 3.* De *Megapoli* SCHWANNMANN *in Deciſ. Camer. f. 125. n. 26.*

(r) Legi hic merentur obſervationes THOMASII *Diſp. de Jure dandæ civitatis §. 5. ſqq.* atque GEO. BAYERI *Spec. J. Germ. c. 1. 2. 3.* de criteriis diverſi ſtatus *Nobilium*, *Ruſticorum*, *civiumque Burgenſium.*

(s) HERTIUS *Diſſ. de ſubjectione Territor. T. 2. Opuſc. p. 386. n. 11. Diſſert. de homin. propr. Sect. 4. p. 176.* BESOLD. *Op. Polit. L. 3. p. 113. L. 4. p. 74.* Præcipue GUNTHER LIGURINUS *L. 2. v. 43.* atque EYBENIUS *de Tit. Nobilit. Oper. p. 598.*

(t) MEISCHNER *T. II. L. 2. Dec. fin.* CARPZOV *L. 2. Dec. 98.* BRUCKNER *de Domanio c. 5. n. 25.* MONACHUS HERVELD. *apud* SCHARDIUM *p. 781.*

(u) ROSENTHAL *c. 5. Concl. 13.* GOEDDEUS *Diſp. 1. feud. §. 2. in not.* WITICHIND apud MEIBOMIUM *T. II. p. 636. Chronicon Montis Sereni p. 49.* FELIX FABER *Monach. Ulmenſ. p. 166.*

(v) Qui proinde in hiſtoriarum documentis vocantur *Ingenui* atque *Militares*

in hoc rerum ſtatu Germania diutius perſtitit, donec ſub Fridericis atque in Interregno (w) demum Nobiles moti fuerint habuerintque rationes (x) ad recipiendum vinculum clientelare Landſaſſiacum atque Vaſalliticum (y) *in bonis allodialibus* (z)

Militares Medioxumi (Mittelfreye) adeoque diſtingvuntur à *Dynaſtis* atque *Miniſterialibus* cum *aulicis* tum *Militaribus Vaſallis*. LEIBNITIUS *Proleg. ad T. II. R. B. n. 23.* HUNDIUS *Metrop. T. 3. p. 500.* JOA. POTGIESER *de Condit. & Statu Serv. apud Germ. L. 1. c. 2. §. 44.* Speciatim huc faciunt DU FRESNE *Gloſſar. voce Allode p. 145. Cel.* JO. PAUL KRESSIUS *de Privilegiis agricult. c. 2. §. 12. p. 64.* KIRCHOVIUS *Vol. 1. Conſ. 39. n. 1.* CHRISTINÆUS *ad Conſuet. Machlinenſ. Tit. 12. Art. 1. n. 15.* MENOCHIUS *Conſ. 409. n. 65.* *Prædia an olim fuerint allodialia?*

(w) In his enim ævis aucta ſunt pericula bellorum ac diffidationum, crevit procerum potentia, ut è ſcopo eſſe exiſtimaretur, promtiorem ſibi comparare à ſuperioribus protectionem. MIRÆUS *Donat. Belg. feudalia?* *p. 514.* EYBENIUS *Oper. p. 654.* CASP. LERCH. *P. 2. p. 27.* HERTIUS *de Feudis Obl. P. 1. c. 1. §. 8.* appoſite de hac feudorum origine ediſſerit coævus Scriptor ABBAS URSPERGENSIS *ad a. 1198.* quo demum tempore prædia nobilium jure feudali, militari æſtimari cœpiſſe curate teſtatus eſt. *An Fridericorum ævo*

(x) §. 13. *h.*

(y) Ut itaque nunc fidelitas intuitu prædiorum conjuncta fuerit cum ſubjectione intuitu perſonæ. ITTER *de feudis Imperii c. 8. §. 43.* MAULIUS *de Homag. Tit. 1. n. 5.* VULTEJUS *de feudis c. 6. n. 4.* KNICHEN *de Pact. inveſtit. L. 2. P. 2. c. 5.*

(z) *Celeberrimus Dn.* JO. EHRENFR. ZSCHACKWITZ *in fundament. J. F. p. 144.* WERNERUS THUMMERMUHT *Tr. Krumſtab* ſchleußt niemand aus *fundam. 2. n. 162.* SECKENDORFIUS *Addit.* des T. Fürſten-Staats §. 20. RHETIUS *Comm. J. F. p. 45.* Summatim, quæ ab his fuſe dicta ſunt, complectitur B. STRYCKIUS *de Jur. ſing. Connub. in Germ. p. 35.* ubi curate ſcribit: *Feuda noſtra olim fuerunt allodia, ſi exceperis aulica* (vid. h. §. lit. k.) *& pauciora militaria* (vid. h. §. lit. m. n. o.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0031
DFG

§. 13.

Feuda Provincialia vel habent indolem feudi oblati vel dati.

At vero diversissima fuit hæc indoles feudalis, cum nunc coincidat cum natura feudi dati, nunc iterum oblati. Et quidem pugnant tantum non omnes Jureconsulti, illi etiam qui in feudis Imperii oblatis feudis indignantur, (a) pro indole feudorum provincialium oblatorum. At, quamvis negandum non sit, allodialia bona in feuda recognita degeneraviſſe multoties atque plerumque, partim, quod nobiles Landsassii dignitatem equestrem adspirarint, (b) partim, quod Jurisdictionis cupidi extiterint, (c) partim hac ratione collectis sese subduxerint, (d) refutaverintque bona sua in manus Principum nunc ex superstione, (e) nunc protectionis causa, (f) nunc ad redimendam vexam, (g) nunc propter metum diffidationum, (h) potentiorum imparium (i) atque nunc iterum urgente alieno ære, (k) æque ac requirente prudentia in conservando splendore gentilitio, (l) cavendum tamen omnino

(a) §. 11. *lit. f. h.*

(b) SECKENDORFF T. G. S. *P. II. c. 3. Reg. 4.* OLDENBURGER *Limn. enucl. L. 3. c. 27.* STRYCK *Dissert. de Statu Prov. c. 2. n. 40.*

(c) SPEIDELIUS *voce*: Aufgetragen Lehen. HERTIUS *de feudis Obl. T. II. §. 4. sqq. p. 488.*

(d) THOMASIUS *Disp. Lipsi. p. 812. §. 13. sq.*

Superstitio est causa oblationis in F. ecclesiastico.

(e) Quæ speciatim utramque paginam absolvit in territoriis ecclesiasticorum, atque feudis ecclesiarum Vicariis oblatis. STRUVIUS *S. J. F. c. 7. Aph. 10. n. 2.* JO. HENR. FELTZIUS *diss. de feud. Obl. pos. 7.*

(f) RHETIUS *Comment. J. F. p. 45.* EVERARDUS *Vol. 1. Cons. 49.*

(g) Exempla attulit *Dn.* KRESSIUS *de Privil. Agric. c. 2. p. 81.*

(h) HORNIUS *Exerc. feud. 1. §. 15.* ROSENTHAL *c. 2. concl. 24. n. 1.*

(i) BESOLD. *Thesaur. voc.* Aufgetragen Lehn. KNICH *de Pact. Investit. P. I. C. 3. n. 269.*

(k) HERTIUS *Opusc. P. II. de feud. obl. §. 11. 14.*

(l) SAM. STRYCKIUS *de Jure Allodiali p. 33. n. 34.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0032
DFG

no est à regulis JCtorum, qui hac ratione sœpius injurii sunt in historiam Provincialem, quæ toties docet contrarium in clausis præcipue territoriis, (m) in quibus Territoriales Domini Subditis Nobilibus (n) indulserunt prædia (o) sub nexu fidelitatis vasalliticæ. (p)

(m) HENNINGER *Med. ad J. P. Sp. 4. Mantiss. 1. §. 18.* FRITSCH *Ex. J. P. V. 2. Ex. 3. Dn.* LYSER *de* Schrifftsaß & Amtsaß. §. 23. SCHÜTZ *de Statu Rei Rom. Vol. 1. Ex. 6. th. 12.*

(n) *§. 12. lit. s. t.*

(o) Cum cautione itaque crediderim accipiendam esse vulgarem pro bonis allodialibus in feuda oblatis præsumtionem. Fallit hæc multoties in feudis Nobilium *Provincialibus*, non vero item in *Imperii feudis*, quæ indubie fuerunt bona allodialia, hodieque eorundem indolem retinuerunt in variis provinciis, quas exacte retulit SAM. STRYCKIUS *de Jure Pr. All. c. III.* Laudem quidem merentur Jureconsulti, qui solertiæ non pepercerunt in recensendis feudis oblatis Landsassiacis, sed culpa dignus est, qui eorundem cantilenas verbotenus recitaverit exscripserit*que*, cum regulariter in *territoriis non patentibus* Imperans subditis prædia indulserit *dederitque* feudali nexu. MUNDIUS à RODACH *Tr. de Munerib. c. 2. n. 44. p. 102.* TITIUS *in Spec. J. P. L. 4. c. 10.* MEISCHNER *Dec. Camer. T. 2. Dec. 8.* Et apposite satis ad hujus indolis Territoria præcipue *Vandalica*, quadrare videntur mihi scholia GOLDASTI *ad c. 8.* BURKHARDI *de Casibus S. Galli p. 118; Villici erant.* inquientis, *ab initio ex plebe, postea progressione facta, cum a Principibus ac Dominis suis prædia in* BENEFICIUM *sive feudum* ACCEPISSENT, *eo titulo etiam nobilitatem sibi vindicare cœperunt.* *Num prædia præsumantur allodialia?*

(p) Speciatim hoc per singulares provincias docebit *opusculum de Indole feudorum & Juris feudalis in Imperio & Provinciis Germaniæ.* Hic dabo saltem ad sensum THOMASII ita edisserentis *Diss. de Hominibus propriis & liberis Germanorum p. 61. §. 99. Falsum est, jure Germanico bona nobilium immobilia præsumi allodialia, nec sequitur: Feuda multa à Nobilibus subinde sunt Principibus oblata, ergo antea fuere allodia.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0033
DFG

§. 14.

II. Ratio: Quin ignorarunt Historiam Imperii atque Provinciarum.

Satis, puto, ex his constare, cur primam rationem apologeticam pro Jureconsultis veteribus repetierim duxerimque ex ævo multitudinis feudorum nescio usque ad regimen Friderici primi. Quod verum est adeo, ut eodem ævo demum *feudi* vox *in Germania* frequentissimum usum obtinuerit, (q) dum steterant hactenus in loco ipsius voces Militiæ, (r) Fischi, (s) Honoris, (t) Ministerii, (u) muneris regii, (v) Leodi, (w) Commendati (x) beneficii,

Quando vox feudi esse cœperit in usu in Germania?

(q) FREHERUS *ad Constitut. Caroli Crassi p.* 202. confitetur, *se perlegisse tot annales, tot memorias atque diplomata, sed nunquam, donec ævo Friderici, invenisse vocem feudi.* Cum quo conferendus est THOMASIUS *Select. feud. p.* 196. §. 15. 16. Fidenter itaque illas chartas habuerim pro suspectis & suppositiis, quæ superbiunt ante *undecimum* Seculum hac voce, quæ à Germanis habuit originem atque à Romanis civitatem latinam. ANT. DOMINICUS *de Prærogat. Allod. c.* 15. §. 1. *Bullarium Casinense T.* 1. *p.* 27. SCHILTER *Comment. J. F. ad rubr.* §. 7. GOLDASTUS *T.* 3. *Const. Imp. p.* 303. LUDOV. LE FEBURE *Traité des fiefs L.* 1. *c.* 1. DAN. KAYSER *Histor. Jur. p.* 111.

(r) GERVASIUS TILBERIENSIS *in otiis Imper. apud* LEIBNITIUM p. 943.

(s) BALUZIUS *Capitul. T.* 1. *p.* 499. supra §. 9. *lit. b.*

(t) RODERICUS TOLETANUS *de Rep. Hisp. L.* 7. *c.* 1.

(u) Charta Ottonis III. apud WILH. HEDAM *Hist. Traject. p.* 95.

(v) MARCULFUS *L.* 1. *form.* 12. *L.* 2. *f.* 6.

Quid notet Leode?

(w) ALTESERRA *de statu feud. c.* 1. *th.* 9. GREGORIUS TURONENSIS *L.* 3. *c.* 21. Regulariter tamen *Leode* accipitur pro possessione rerum mobilium, & *Leudes* denotant *subditos*, Vassos sive servos quoscunque, æque ac Vasallos, Fideles. *Cel. Dn.* STRUVIUS *Hist. Jur. p.* 682. THOMASIUS *Sel. Feud.* §. 34. 36.

(x) CANGIUS *Glossar. p.* 1106. PETRUS de MARCA *L.* 1. *Hist. Benearn. c.* 28. §. 13. TOLNER *C. D. p.* 2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0034
DFG

neficii, (y) ſtipendii (z) & Clientelæ. (a) Accedit nova ratio, quæ eſt *cognitionis Hiſtoriæ Imperii atque Provincialis defectus*, ad excuſandos Jureconſultos, qui operæ pretium eſſe vix arbitrati ſunt docere Jus clientelare, *niſi in locis fugitivis & in transcurſu.* (b)

§. 15.

Et quidem fieri hoc aliter non potuit, cum JCti in his ævis inſtructi non fuerint præſidiis genuinis ad hæc ſacra viam atque aditum pandentibus, ſine hiſtoria Imperii Germanici (c) atque cognitione obſervantiæ Imperialis, (d) *feuda immediata* ſunt inſtar cadaveris, *mediata*

Hiſtoria Imperii atque Provinciarum ſunt fontes Feudales Germaniæ.

(y) BÖHMER *de feud. eccleſ. c. 1. §. 2. Autor vetus de beneficiis §. 1, 5. 7. ſqq. R. F. 1. §. 2.* Fallit vero KNICHEN *de Superiorit. territor. c. 189.* vocem feudi antiquiorem eſſe beneficii nomine contendens, tot reclamantibus monumentis hiſtoriarum, THOM. CRAGIUS *L. 1, D. 7.* MAGER *de Advoc. Arm. c. 2, n. 81.* DATTIUS *L. 1. de P. P. c. 1. n. 12.*

Num vocabulum Beneficii antiquius ſit vocabulo feudi?

(z) Quod vocabulum apprime conincidit cum voce *Feod*, quæ notat ſalarium ſive alimentum. JO. STIERNHOECK *Jur. Sueo. c. 6. p. 277.* WILH. SOMNERUS *de Gavelkind. c. 4.*

Feod ſignificat Salarium.

(a) *Dn.* à LUDEWIG *Jur. Clientel. c. 2, §. 4, k.*

(b) *De quibus §. 2. & 3. b.*

(c) Hæc enim eaque pragmatica princeps eſt fulcrum Jurium quæ pendent à nexu Imperatoris & Principum. Ut itaque, ſi quæ alia, certe Jurisprudentia feudalis requirat ex ſtudio hiſtorico lumen atque præſidia. Faciunt huc BALDUINUS, SPENERUS atque SCHULTINGIUS in opuſculis *de Jurisprudentiæ cum hiſtoria conjunctione.* Quibus accedunt CONRINGIUS *Ep. 7.* COCCEJUS *Jurispr. Publ. c. 5. S. 2. p. 137.*

De uſu Hiſtoriæ in Jure.

(d) Et hæc quidem eſt eo majoris momenti, cum tantum non omnia, certe præcipue *Juris feudalis Imperialis* argumenta reſideant in conſvetudinibus Imperii. Satis momentoſæ ſunt quæſtiones *de indole & vera natura juris territorialis atque feudorum regalium, de ſucceſſione liberorum ex impari matrimonio* ut & *de ſucceſſorio Jure Principis*

De utilitate Hiſtoriæ Imperialis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0035
DFG

diata vero sive *provincialia* in tenebris palpant obambulantque, sine historia Territoriali singularum Provinciarum, (e) atque sine duce cognitione consuetudinum Juriumque feudalium *Germaniæ*. (f) Omnia vero hæc tunc quidem atque diutius colluctata sunt cum tineis, donec recentiori ævo (g) liberata fuerint a squalore atque tyrannide

cipis Ecclesiastici in feuda Principatus Secularis; sed quis est, qui has curate resolverit sine pragmatica cognitione observantiarum Imperii. RHETIUS *Inst. J. P. L. 1. Tit. 1 §. 17.* SALMUHT *de Imperii matrim. p. 80.* JO. GARZON *L. 1. rer. Saxon. p. 26.* MYLERUS *Gamalog. c. 6. §. 12. p. 167.* FACHINÆUS *L. 7. Controv. Jur. c. 35.* MARINIS *de Generibus feud. T. 2. p. 225. Dn. D.* ARNOLD *de Clerico exule in F. Princip. p. 6. Dn.* LUDOV. CASP. GRANTZE *Disp. de Clericorum in feuda Successione Præside Exc.* D. HOFFMANNO *habita c. 3. p. 45.*

De usu Historiæ Provincialis.

(e) Vere dixeris *historiam provincialem* die Landes-Historie/ clavem Juris feudalis æque ac Juris publici particularis in peculiaribus territoriis. Sed dolendum est, hujus causæ præsidia hodieque referri plerumque ad carmina Sibyllina, cum Publico non communicanda, adeo ut exteros contentos esse oporteat cum Analistis atque vulgaribus Scriptoribus historicis cujusque regionis. Fecerunt tamen rei periculum in *Bojoaria*, *Pomerania* atque *Marchia*, SCHMIDIUS, MEVIUS atque PUFENDORFIUS, & in *Frisia* nuper *Exc. Dn.* BRENNEISEN. In Principatibus Electorum præivit GIOVANNI in *Germania Principe* & spes est fore ut eodem lumine aliquando colluстraturus sit Principum Ducatus. Vix tamen exspectare potuerimus *Provinciales historias* numeris suis catholicas & absolutas, nisi à Cive territoriali cum Manuscriptis, tum Actis provincialibus atque chartis Tabularii instructo.

De Scriptoribus Historiæ Provincialis.

(f) Non Universim tantum, sed speciatim in singulis Provinciis. SCHILTERUS *Præf. ad Jus feud. Allem. §. 18. & Præf. ad Mincuccium §. 5.* JO. STEPH. BURGEMEISTER *Corpor. Juris Germanici præf.* JO. SKENÆUS *in Regia Majest. Scoticæ p. 16.*

Atque Imperii Germanici.

(g) Nondum contigit illa felicitas Seculo decimo sexto, neque Principio seculi sequentis. Ubique muti erant JCti in Historicis, & qui sapere

rannide blattarum. Juris feudalis *Longobardici* nomen ac usus vero in Germaniam nondum penetraverant, & etiamsi (h) penetravissent, ne Argus tamen quidem his Collectaneis viderit perspexeritque indolem feudorum Imperii Germanici. Illud tamen negandum non est, JCtos sub *Friderico IIdo* (i) Longobardorum jure privato arbitrio (k) cœpisse abuti.

§. 16.

---

pere visus sibi fuit, in Chronicis Monachorum quæsivit margaritas. Deinde in *tractanda historia Imperiali* der Reichs-Historie primi Autores PEUTINGERUS, KNICHENIUS, VORBURGIUS & DIETERICUS sunt Theoretici. Scriptores demum seu Collectores rerum Germanicarum GOLDASTUS, LINDENBROGIUS, BALUZIUS, ACHERIUS, SCHARDIUS, REUBERUS, FREHERUS, MEIBOMIUS, PITHOEUS, URSTISIUS aliique excitarunt DATTIUM, CONRINGIUM, LEHMANNUM, quos secuti sunt nostro ævo HEISSIUS, LEVIN von AMBER qui est FRANCKENSTEINIUS, GLADOVIUS, GUNDLINGIUS, LUDEWIGIUS, HAHNIUS, à BüNAU, GLAFEY, SCHMAUSIUS, SPENERUS, LANGIUS & *celeberrimus* BURCH. GOTH. STRUVIUS. De *historia Provinciali vide lit. h. §.*

(h) JOA. HAGEMEIER *de usu & autorit. Juris c. X.* HORNIUS *Jurispr. feud. c. 1. §. 17.* Dubio vero caret transisse jus Longobardicum in Germaniam Seculo duodecimo, sed cave ne dicas illud jam tum obtinuisse usum publicum, BROWERUS *Ann. Trev. L. 16. a. 1276. p. 163. & §. 27. h.*

(i) Documentum prostat apud TOLNERUM *in Cod. Diplom. n. 80. p. 69. de a. 1219.* ut & in *Tomo X. Allor. Norimberg. p. 89.*

(k) Publica enim receptio facta demum est Seculo XV. in Camera Imperiali, HERTIUS *de Consultat. Legibus & Judiciis in special. C. I. Rebusp. §. 14.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0037
DFG

§. 16.

Illtia Ratio repetenda eſt à genio ævi critici.

Accedimus nunc (l) ad ævum Humaniſtarum, ac inſimul ad *tertiam* rationem, quæ hæc eſt, quod humaniores Jureconſulti ſtudia feudalia poſuerint in argutiis Romanis Pauli & Ulpiani. Et hæc ſuperſtitio indubie danda eſt *ævi critici genio*, qui Jurium Germanicorum monumenta nauſeare ſvevit (m) & plus ſalis ineſſe putavit rerum Romanarum antiquitatibus atque literis elegantioribus, (n) quam Germaniæ vetuſtis documentis. (o) Satius itaque viſum eſt, manere & conſeneſcere in æterno Romanenſium famulatu, quam ex reliquiis atque ſcobibus monumentorum Germaniæ aurum colligere, collectum conficere, Patriæque & Reipublicæ tempus ac otium conſecrare. (p) Quid? quod ex teſtimoniis GRONOVII, HEINSII, VOSSII, GRUTERI, SALMASII, PERIZONII atque CASAUBONI abunde eniteat, ipſos cum Humaniſtis in hac fuiſſe perſuaſione, quod Juris Romani Pandectæ habendæ ſint pro univerſali norma ac lima hominum actionum, (q) ad quam & ideo revocari debeant lites clientelares, definiendæ ex titulis de

(l) *ſupra* §. 4.

(m) CONRADUS SINCERUS *Diſſ. epiſtol. de Germanicarum LL. origine & autorit.* §. 56. 57.

(n) ARTH. DUCK *de Autor. Jur. Civ. L. 1. c. 2. L. 2. c. 1.* THOMASIUS *de Origin. feudal. p. 10. b.* LUDEWIG *Introd. in rem monetar. p. 2.*

(o) MELCH. GOLDASTUS *Ration. Conſtit. epiſt. dedicator.* JO. LUD. PRASCHIUS *de JCto vero & perſonato* §. 16. *p. 96.*

(p) FRIDER. LINDENBROGIUS *Cod. LL. antiq. præf.* JAC. OMPHAL *de Chriſt. Rep. propugn. p. 9. 10.*

(q) ANT. CONTIUS *Lect. Jur. c. 9.* PETR. PECKIUS *ad cap. 28. de Reg. Jur. in 6to.* MOLINÆUS *ad Conſvet. Paris des fiefs n. 110.* GOTHOFREDUS *in Praxi rer. Civil. L. 2. T. 1.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0038
DFG

de usufructu, emphyteusi, locato conducto & ceteris, (r) qui his argumentis sunt vicini. (s)

§. 17.

Prima enim hæresis, *quod Jus Romanum sit jus præstantissimum & universale,* (t) trudit aliam, & hanc quidem, quod ex Juris Romani oraculis decidendæ sint controversiæ Jurium reliquorum Publici Juris, (u) feudalis (v) atque Canonici. (w) Non itaque est, ut miremur Romanizantes Doctores, quos orthodoxia adeo movit, ut non erubuerint cum *Cujacio* vocare jus Romanum ipsissimum Jus Naturæ (x) ac tantum non per Spiritum Sanctum

Atque Juris Romani prærogativa.

E

(r) FRANTZ *de Laudem. c. 9. 10. sq.* WURFFBEIN *de diff. Jur. Civ. & Noric. class. 1. membr. 2. §. 77.* TITIUS *Jurispr. Priv. L. c. c. 1. §. 6.* ZÆSIUS *ad ff. Tit. de usuris n. 19.*

(s) STRUVIUS *Synt. J. F. c. 2. §. 10.* LUDEWIG *Jur. Clientel. Sect. II. p. 75. sqq.*

(t) GIPHANIUS *in Justiniano p. 54.* ALBERICUS GENTILIS *L. 1. de J. B. & P.* JO. PHILIP. SLEVOGT *progr. in Disp.* JO. STRUNTZII *f. 3.*

(u) TABOR *de Metatis c. 1. n. 4.* LUD. HUGO *de Statu regionum German. c. 6.* GEO. ENGELBRECHT *de usu J. R. in Jure Publ. §. 4. sq.* Solide dissentiunt SELDENUS *Mar. claus. L. 2. c. 24.* JOA. HAGEMEIER *de Aut. Jur. Civ. c. 3. §. 8.* JO. WERLHOFF *de Usu J. R. in Controversiis liberarum Gentium p. 15.* GEO. HENR. BRUCKNRR *in Curiosis J. P. Tit. 6. ill. Dn. à* PONIKAU *de Condit. Statuum Imperii privata c. 1.* MICH. HENR. GRIBNER, *Vir excellentissimus, de Abusu Juris Justin. in J. P. c. 2. 3.* HENR. ERN. KESTNER *Probl. 5.* D. FRID. GREGOR. LAUTENSACK *de inepta ratione decidendi controversias J. P. p. 14. sqq.*

De J. R. abusu in Jure Publico.

(v) HENRICUS de BUNAU, *Eques Misnensis eruditissimus, in Exam. Dissertat. Bucholtzii c. 1.*

(w) CONR. RITTERSHUIUS *Proleg. diff. Jur. Civ. & Can. p. 9.* STRAUCHIUS *de Orig. & Autor. Juris Canon. §. 38.*

(x) In quam sententiam pariter concedere videntur GROTIUS *Ep. 132. p. 119.*

Atque Jure Naturæ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0039
DFG

ctum in calamos compilatorum dictatum. (y) Accedit, quod plerique hujus ævi Jureconsulti, feudorum originem

119. STRUVIUS *S. J. C. Ex.* 1. §. 60. Illa vero, utut falsa, Jureconsultis tamen adeo imposuit, ut novas huic superstruxerint doctri-
Conclusio 1. nas, non minus inconcinnas. *Alii* cum REINKINGIO atque VO-
Conclusio 2. GLERO corpus Juris civilis ex Bibliis constituunt. *Alii* cum GISEBERTO, PETRO PITHOEO atque LICINIO RUFO Romanas Leges cum Legibus Mosaicis atque Decalogo conferunt. MENAGIUS
Conclusio 3. *Amœn. Juris c.* 7. *Cel. Dn.* FABRICIUS *Bibl. Lat.* 4. *c.* 9. *p.* 811. *Alii* iterum cum GRAVINA *Orat.* 4. Jus Romanum *imperantem rationem* appellant, illudque etiam Principibus, qui jus Romanum non
Concl. 4. receperunt, obtrudunt. *Alii* cum NICOLAO VIGELIO Imperatoribus Jura Romana exactissime commendant, nisi dissolutam vellent
Concl. 5. rempublicam. *Denique* alii tantum tribuunt Juri Naturali in Romanorum Jure, ut cum *Glossatoribus* non vereantur contendere, Spiritum Sanctum sedisse in ore compilatorum Juris Romani, uti olim in
Concl. 6. ore Apostolorum. *vide lit. sequ. y.* Ex quibus *ad extremum* facile intelligitur, qui etiam recentiores Jureconsulti cum ULR. ZASIO, WESEMBECIO & vulgaribus Legum Conciliatoribus EVERARDO BRONCHORSTIO, JO. WURMSERO, GIPHANIO, JAC. BRANDMULLERO, HUNNIO & reliquis scripserint: *Non dari in Jure Romano Antinomias*, quippe quæ exspectari non possunt à Viris, qui scripserunt *instinctu divino* atque afflatu, qui suppar est *apostolico*. Verum sufficiunt ad diruendum harum conclusionum fundamentum *de Jure Naturali Romano* JACOBUS MÆSTERTIUS *de LL. Rom. justitia c.* 2. BERN. AUTUMNUS *in Censura Gallica p.* 31 *sq.* SIM. à GRÖNWEGEN *de LL. Abrogatis p.* 100. PARDULPHUS PRATEUS *in Jurisprud. media c.* 6. *Dn.* JOANNES GRÖNINGIUS, *Vir celebris ac litteratissimus*, *de nævis Corporis Juris* §. 10. Ut itaque sponte sua concidant atque corruant conclusiones de *Antinomiis non dabilibus* æque ac reliquæ, ANT. MERENDA *L.* 5. *Cent. I. c.* 38. ANT. MATTHÆI *diss. de Antinom.* §. 7. MULLER *ad Struvium Ex.* 1. §. 69.

(y) Fidenter scribunt BALDUS & JASON *ad Edictum quod metus causa*

ginem Romanis adscripserint, (z) prætereaque historiarum Juriumque Germanicorum ignari fuerint, vixerintque

causa gestum erit: Romanas Leges, ut *naturalem rationem* omnibus imperare, & *Spiritum S.* Juris R. præcepta posuisse *in ore Prætorum*, adeo ut *Jus R. sit* VOX DEI *ab hominibus prolata.* Quæ doctrina omnibus sordet, qui non sunt obesæ naris. Præcipue cum injuria sit in Majestatem divinam, quæ odit Leges irrationales, iniquas, paganas & superstitiosas, quibus illa jura sœpius abundant. *Vide L. 3. ff. de Concub. L. 19. ff. §. 4. de Minoribus, L. 24. pr. ff. ad L. Jul. L. 9. §. 2. ff. de R. D. L. 35. ff. de Relig. & sumt. funerum.* Succurrunt adhuc *Concl. 7.* duæ conclusiones ex eodem principio oriundæ. *Prima* est, quod nonnulli cum ACCURSIO scribant: *Jus Romanum adeo abundare præceptis probitatis & pietatis, ut Cultores Theologiæ carere possint studio divino, & Litterarum Studiosi supersedere queant vago atque superfluo studio Juris naturalis, cum utrumque luculentissime hauriatur ex libris Jurium, auspiciis Justiniani confectis.* Fuit hæc sententia decantati *Fanatici* CONRADI DIPPELII, quem ideo ad examen vocavit THOMASIUS *in fine Historiæ Juris Naturalis.* Si vero conjecturis locus est, JCtis forte præcipue imposuit *definitio Jurisprudentiæ*, quæ multo quidem martyrio & varia arte communiter solet explicari. Sed his syrmatibus prorsus opus non est, cum, si quæ alia, certe primorum Juris R. capitum seu Titulorum argumenta, speciatim hæc definitio, *ex Principiis Stoicorum* accipiant genuinam explicationem. Vocat itaque ULPIANUS Jurisprudentiam, *Rerum divinarum* h. e. principiorum, quæ metaphysica audiunt, de DEo & mundo, & *humanarum* h. e. Principiorum Politicorum & moralium, *notitiam* h. e. præguſtum, prænotionem præparatoriam, *justi atque injusti scientiam* h. e. Jurium civilium ipsorum consummatam cognitionem. *Altera conclusio* autorem habet PFORTIAM ODDUM, qui virtute principii recitati asserit: *Rusticos excusari, quoties peccaverint ex ignorantia Juris statutarii, non vero si deliquerint ex ignorantia juris Romani.* Habuit enim hoc sine dubio pro Jure connato. Adde *Cel.* HOFFMANNUM *in Præcognitis Jurisprud. Orat. inaugur. Pl. H. Cl. Dn.* GLAFEY in den Grundſ. der Rechts-Gel. *c.* 1.

Concl. 8.

(z) *Supra §. 7. lit. b.*

que extra Germaniam destitutam adhuc Academiis, (a) apud Doctores Italicos. (b) Non potuit itaque non Jurisprudentia feudalis esse ævo glossatorum Humanistarumque (c) proletaria.

§. 18.

Ratio Vtæ est Juris Longobardici cum Jure feudali Germanico confusio.

Quod vero *demum* Patriæ Jureconsulti in transversum egerint, deforserintque feudalia Instituta Germanici Imperii in sensus non solum peregrinos, (d) sed etiam præcipue Imperii & Provinciarum Leges, consvetudines, mores & observantias peculiares cum Longobardicis consvetudinibus vitiaverint confuderintque; hoc certe non solum contigit Jurisprudentiæ feudali, sed etiam civili. (e) Speciatim, ex quo Jus Longobardicum oras Germaniæ appulit, (f) tantus pruritus invasit occupavitque animos JCtorum, ut autoritate peregrini Juris provinciarum jura singularia vel expunxerint, vel certe hæc omnia uno loco cum institutis peregrinis habuerint. (g) Quod tamen temere prorsus atque inconcinne factum est, cum utraque Jura distent ut æra lupinis, ut quadrata rotundis, (h) Sed

(a) Legendi hic sunt CONRINGIUS in *Antiquitatibus Academicis*, BULÆUS *in Histor. Acad. Parisiensis* ut & PASQVIERE *dans les recherches de la France.*

(b) LAUTENSACK *de Inepta Decid. rat. Controv. J. P. §. X. sqq.*

(c) De quibus fuse MELCHIOR ab OSSE *in Testam. §. 14. 15. & in Notis* THOMASIUS *p. 407. sq.*

(d) *Vide §. 5. h.*

(e) Uti dictum est *in Commentat. de distincta practica ratione in J. R. & G. §. 7. sqq.*

(f) Quod factum est privatim Seculo XII. publice vero Seculo XV. SCHILTERUS *de Investitura simult. c. 3. p. 531. Celeb.* STRUVIUS *Histor. Jur. p. 730. §. 28.*

(g) LUDEWIG *Jur. Clientel. præf. §. 7.*

(h) *Cel. Dn.* SPENER *Obs. feud. II. n. 8. p. 142. Cel. Dn.* KRESSIUS *de jure summo p. 59.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0042
DFG

Sed nihilominus hujus generis lyra ultra Seculum oberrarunt Jureconsulti publici Juris privatique, cum hac ipsa sectati sint atque nacti auram Cæsaris & Principum, quorum interest, cum Imperii, tum Provinciarum Vasallos adligare ad regulas & limites Jurisprudentiæ Longobardicæ, quæ nescit naturam feudorum recognitorum. (i)

§. 19.

Facile inde est judicatu, quid sibi voluerit consilium à NICOLAO VIGELIO Imperatori *Carolo VI^to* atque *Principibus* suppeditatum, (k) ut instar sacræ anchoræ, commendatissimum sibi haberent *Jus Longobardicum*, si salvam vellent utrinque autoritatem. Cum vero hæc doctrina toties à Scriptoribus Regalium, SIXTINO, STAMLERO, EINSIDELIO, PRUCKMANNO atque CARPZOVIO repetita, provincialibus ordinibus visa fuerit libertati patriæ inimica; publicis literis de hac Jurium commixtione circa annos 1592. & 1630. conquesti sunt ordines Provinciales apud Saxones (l) atque Silesios, (m) adeo ut noluerint amplius in causis clientelaribus locum dare actorum transmissioni ad Academicos, (n) à quibus

Quæ vitanda est in Jure F. Imperii & Provinciarum Germaniæ.

E 3

(i) ERICUS MAURITIUS *Coroll. 7. de Principiis J. P.* ALTESERRA *de Statu feud. pro moribus Galliæ c. 2.* *Doctissimus D.* GOEBELIUS *de Orig. Juris venandi §. 9. p. 16.*

(k) *Methodo Juris civilis p. 21.*

(l) BETSIUS *de Pact. illustr. c. 2. §. 3.* Ipsas ordinum querelas ex MSS Codice recitavit exhibuitque GIOVANNI *Germ. Princ. L. 3. c. 5. §. 10.*

Querela Silesiorum & Saxonum.

(m) SCHICKFUSIUS *de feudis Silesiæ c. 1. n. 38.*

(n) Facit huc HERMANNI HOFFMANNI censura Advocatorum Mecklenburgensium *in Lycurgo Germ. c. 4. n. 11.* sed tenendum est, in Megapoli aliam omnino rationem ineundam esse in decidendis litibus civilibus atque feudalibus quam in locis, ubi speciatim Juri Longobardico data non est vis decisiva & Judicialis, & ubi feuda Provinciæ abhorrent ab indole feudorum beneficiatorum. COTHMANNUS

Ut & Meklenburgensium.

quibus exſpectari nihil potuit, niſi ſententia fallax & Longobardizans. Hactenus enim id egerant JCti, ut Jura Longobardica & Germanica vel in harmoniam redigerent vel confunderent invicem. (o) Quorſum primario collineat regula communis: *Quod Provincialia feudalia Jura ita explicanda ſint, ut minime lædant Jura Longobardica.* (p) Quæ invertenda prorſus eſt ex adverſo, cum patriæ conſuetudines, Longobardicarum receptione ſint vetuſtiores, & receptio facta ſit in ſubſidium, non abrogatis Legibus domeſticis. (q) Cum itaque hæc confuſio, mater perturbationis, in cauſis beneficiariis earundemque deciſionibus officiat Dominis, Vaſallis & Reipublicæ, opus eſt, ut in rationes Longobardiæ & cuique Germaniæ regioni proprias, quantum aliæ atque aliæ diſtent invicem, ſigillatim inquiramus, &, cum plerumque publica feuda Imperii atque Provinciarum multo martyrio trahi ſoleant ad Longobardorum canones & normam, operam præcipue demus, ut luculenter conſtet, quam manifeſta inter indolem feudorum Latii atque Germanici Imperii intercedat differentia, & quanta vis atque utilitas demum reſideat

MANNUS *Vol. 1. Conſ. 27. 28.* CARPZOV. *ad L. Reg. c. 11. S. 13. n. 7.* Allubuit tamen nuper *Pomeraniæ JCto*, hoc loco abuti atque advocatis denuo inſultare præter rem & rationem. Lege THOMASIUM *de Circumſpectione in curanda tædioſ. proceſſus §. 3. §. 22. p. 35.* ENGELBRECHT *de fatis Jurisprud. p. 12.* ANT. CHRIST. LUBBIUM *in Obſervationibus ad diſſertationem* NICOL. GVIL. DRESSELII *de Advocatis, eorumque numero reſtringendo.*

(o) *Videatur* MEVIUS *Comment. ad Jus Lubec. pr.*

(p) CARPZOVIUS *P. III. Deciſ. 295. n. 21.* PETR. STOCKMANN *Deciſ. Brab. Dec. I. n. 4.* ZACH. HESSE *de uſu J. R. in Poruſſia Duc. §. 9. 10.*

(q) TERRIENUS *de Jur Civ. norma L. 1. c. 3.* KELLERUS *de Offic. Jur. Pol. c. 27. L. 1.* PUFENDORFF *Fecial. Europ. p. 843.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0044
DFG

sideat (r) in solida atque sobria Juris Longobardici ad Curias feudales Germaniæ applicatione, æque ac in curata *cognitione practica differentiarum Juris feudalis communis atque Imperii & Provinciarum*, quæ utramque in Jure Clientelari absolvunt paginam. (s)

§. 20.

Quodsi vero nunc recensitas rationes in hodierno ævo ad studium Juris feudalis applicare sategerimus; sponte sua nonnemini constabit de *necessitate studii clientelaris*. Non enim *prima* ratio *de penuria feudorum* (*) amplius occupabit locum, cum certum sit, quod, ubi ante trecennium (t) vix de unico feudo extiterit memoria, nunc tanta sit *feudorum ubertas*, ut vix bona superstint, quæ perstiterint libera à nexu feudali. (u) Quidni itaque tanta rerum feudalium multitudo hodiernos JCtos excitaret ad dandam huic clientelari negotio sollicitiorem operam atque

Cessant vero hodie hæ rationes & constat de Necessitate Studii Juris feudalis.

(r) Quod uno ore confitentur curatiores feudalium jurium Scriptores FR. SCHENCKIUS, JO. FR. RHETIUS, JO. SCHILTERUS, HORNIUS, LUDEWIGIUS, JO. EHRENFR. ZSCHACKVITIUS, AD. STRUVIUS.

(s) Dn. D. VAL. JO. BESELIN *J. C. de Patria Academia, Curia atque Republica Litteraria longe meritissimus disp. de Reluitione F. oppignorati præf.* JO. ARN. CORVINUS *J. F. Aphor.* 4. *s.* THULEMARIUS *Syst. J. F. c.* 1. PAULUS FR. ROMANUS *de Feudis cap.* 12.

(*) §. 6. *sqq. h.*

(t) Pertinet huc testimonium BESOLDI qui ex GEMMINGIO *in Thesauro Pract. voce* Reichs-Stand *lit. k. n.* 38. asserit, quod versus Rhenum & in Franconia ante duo secula splendidissimarum familiarum ditiones fuerint allodiales adhuc, sed post tempora *Rudolphi I.* jam omnes commutatæ in feuda.

Prædia feudalia hodie sunt frequentiora.

(u) RHETIUS *ad J. F.* 1. *p.* 46. HENR. BOCERUS *de natura feud.* §. 2. AH. FRITSCHIUS *de feudo solari* §. 1.

que induſtriam. (v) Intereſt enim illorum, cum ubique reperiantur feuda, didiciſſe *hanc partem Jurisprudentiæ* ac *ad beneficiaria Jura* animos accinxiſſe. (w) Expedita ſemper manet ratio, cum non ſolum noſtro ævo ſinguli Principatus nexum habeant clientelarem, ſed omnia fere prædia, omnes etiam fundi & univerſa fere Germania evaſerit beneficiatia, ut dici mereatur præ aliis *Regnum clientelare* das Lehn-Reich (x)

§. 21.

Conſtat de Utilitate juris feudalis, cum verſetur in argumentis.

Deinde *ſecunda* (y) etiam ratio ſua nunc non amplius pollet autoritate, cum in ſingulis provinciis JCti nunc litent ſtudio hiſtoriarum. (z) Receſſimus item à ſuperſtitione majorum, qui regnum quæſiverunt in floſculis Ciceronis & ſcriniis ſolius Juris Romani, (a) quid? quod proinde

(v) ANDR. MYLIUS *de feudo in pecunia conſiſt. p.* 3. ARNOLD KRUPP *de feudo pignorat. c.* 2.

(w) HERMANN RICHARDUS POHLMANN *de feudo franco §.* 6. CAROLUS à KIRCHBERG *de F. ex pacto & provid. p.* 12.

(x) LUDEWIG *Ir. Clientel. c.* 1. *§.* 2. JO. WURMSERUS *de F. conceſſione §.* 7.

(y) *vide §.* 14. *h.*

(z) Videantur *Dn.* SPENERUS *J. P. T. I. p.* 62. *§.* 12. *p.* 70. *§.* 17. De piis deſideriis in conſcribenda hiſtoria Imperii, ſpeciatim quoad argumenta feudalia legatur Dn. ZSCHACKVITZII Vorbericht von ſeiner vorhabenden teutſchen Reichs- und *Univerſal-Hiſtorie.*

(a) In quod adeo religioſe Humaniſtarum nonnulli jurarunt, ut piaculo ſibi duxerint legere monumenta barbara atque hiulca Germanorum, quin ipſas ſacras Litteras, ne puro, quem in deliciis habuerunt, ſermoni latino maculas inſpergerent. De quo furore critico teſtimoniorum inſtar ſunt Scripta CASP. SCIOPPII *ſive* GROSIPPII, GVIL. BUDDÆI, LAURENTII VALLÆ, CAR. ANDR. DUCKERI, JACOBI CAPELLI, KIRCHMAIERI, CELLARII & SCHURTZFLEISCHII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0046
DFG

proinde abhorreamus à Jurium diverſorum mixtura (b) & incongrua applicatione, adeo ut propterea neque Juris feudalis ſtudio obſtare diutius poſſint ratio *tertia* (c) atque *ultima*. (d) Et quis eſt, qui ex argumentis cum *momentoſis* tum *quæſtuoſis* hujus ſtudii non intellexerit, quam *neceſſarium* illud ſit atque *proficuum*? Primo enim cauſæ *feudales* majoris longe ſunt momenti, quam res *allodiales civiles*, quæ vel in ancipitis fortunæ *nominibus* verſantur, vel in *crepundiis*, vel in *ædificiis*, ac villis rerum vacuis, vel in *agrorum aliquot jugeribus*, cenſuum ac tributorum onere ita exhauſtis, ut vix aliud poſſeſſori relinquant, quam operas & ſervitutem. At vero in cauſis feudalibus agitur de cardine reipublicæ, de fundis clientelaribus maxime momentoſis, (e) quin & de nexu Imperantium & Parentium. (f) Deinde etiam *argumenta* *Momentoſis.* *& quæſtuoſis*

F *feudalia*

(b) Quam pariter horrent JCti regnorum exterorum, *Hiſpaniæ*, *Angliæ*, *Poloniæ* atque *Sueciæ*. SVAREZIUS *L.* 3. *de Leg. hum.* §. 8. *n.* 4. DUCKIUS *L.* 2. *c.* 3. §. 5. STIERNHOECKIUS *L.* 2. *c.* 14. §. 7. Etenim non ignorant, commixtionem jurium eſſe peſtem Reipublicæ, cum praxis doceat, quanta damna, quanta Jurium ambiguitas redundent atque oriunda ſint ex illa in respublicas. *Cives* jure incerto fallunt atque falluntur, *judicibus* via paratur ad illudendum partibus ſub ænigmatibus & larvis jurium variorum atque ſententiarum communium. *Cauſarum Patroni* vero lites nectunt, fingunt ac retrahunt, *ut exitus ante non videatur, quam nummis & juribus careant litigantes. Perill. Dn.* à LUDEWIG *de feud. Luſat. Proœm.* §. 2. *Jurium commixtio eſt peſtis Reip.*

(c) *Vide* §. 16. *h.*

(d) §. 18. *h.*

(e) JO. RUDINGER *Quæſt. feud. Qu.* 2. GODOFR. SVEVUS *Exerc. feud. ult.* GEO. ÆGID. von SICKENHAUSEN *Obſerv. feud. Practic. O.* 1.

(f) JO. ITTER *de feud. Imperii p.* 7. ERASMUS à CHOCKIER *de Advocat. feudal. p.* 15.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0047
DFG

feudalia sunt *fructuosa*, (g) & propter lucrum & pinguiorem quæstum præstantiora civilibus causis privatorum, cum unica quandoque feudalis controversia de felonia, uberiora compendia promittat, quam centum aliæ in curiis Jurium civilium. Jam vero, cum in tanta rerum feudalium multitudine lites forenses hujus argumenti sint frequentes atque amplissimæ, quis quæso Studiosos, Doctores, Advocatos & Judices non incusaverit intolerabilis negligentiæ, si processualem & quæstuosam Jurisprudentiæ spartam nec limatiori cultura perpolirent, nec ab ærugine ac tineis Longobardicis unitis viribus vindicarent?

§. 22.

Usus Juris Longobardici in Germania ex Historia Receptionis definiendus est.

Equidem notæ sunt in vulgus querelæ feudistarum de perturbato atque ambiguo Jurisprudentiæ feudalis usu; (h) verum sua quodque clientelare argumentum gaudebit luce, si in rationes Juris Longobardici atque Germanici inquisiverimus sigillatim. Adeo, ut superflua omnino videantur consilia illorum, qui ad evitandas Juris feudalis difficultates nunc in *Codicibus Legum abrogatarum*

(g) JASON *in Prælud. feud. p.* 194. & ALBERICUS *de* ROSATA *in Rep. Jur. Can. p.* 151. Seculi decimi quarti & quinti Scriptores ita: *Materia feudorum subtilis est & LUCROSA, maxime in partibus Pedemontanis & Germaniæ, in quibus oriuntur arduæ quæstiones inter Reges, Barones & Prælatos, cum ibi sint maxima feuda civitatum, oppidorum & Jurisdictionum.*

(h) CYPRIANUS REGNERUS *Censura in Consuetud. feud. c.* 5. CASP. BITSCHIUS *Comment. J. F. p.* 30. MARIUS GIURBA *in Repetitionibus de Success. feudorum f.* 56. MICHAEL ab AGVIRRE *in responso pro Successione Portugalliæ f.* 6.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0048
DFG

tarum (i) nunc *in Jurium collationibus*, (k) in *opinionibus communibus*, (l) *in praxeos ac theoriæ discriminibus*, (m) & denique in *curialibus decisionibus* (n) firmum se invenisse talum existimaverunt. Ut itaque genuinus usus Juris Longobardici in foris feudalibus Germaniæ pateat luculenter, ex historia receptionis ejusdem indoles atque autoritas summatim est repetenda.

§. 23.

Distinctius hoc fieri non poterit, quam nisi mè omnia fallant, auxilio primorum capitum Historiæ (o) utrius-

De qua constabit distinctius atque curatius, si dictum fuerit i) *de origine Juris Feudalis Germanici.*

(i) Nominandi hic sunt SIMON à LÖVEN, GROENWEGEN, FREIGIUS, THOLOSANUS, GRIBALDUS, LORIOTTUS, FELDENUS. Recentiores sunt LEIBNITIUS, FREIBERGIUS & FR. BURCHARDUS *de novo Codice Jurium conficiendo.*

(k) KULPISIUS *ad Monzamb. p. 125. in f.* GEO. PAULUS HOENN *Consil. de Abbrev. Processu p.* 11.

(l) GRÆVEUS *Concl.* 154. VULTEJUS *L.* 1. *de feud. c.* 10. *n.* 63. MASCARD *Concl.* 1138. *n.* 11. Verum, quam fragile hoc sit consilium, atque subinde quam fragilis ipsa sententia communis, rationibus & exemplis edocuerunt MICHAEL GRASSIS *JCtus & Cancellarius Mecklenburgicus, de Recept. Sentent.* §. *legitima qu.* 2. *n.* 6. THOMINGIUS, *JCtus Mecklenburgicus, Decis.* 20. *n.* 23. *Dec.* 38. *n.* 24. FICHARD *L.* 1. *Consil.* 6. *n.* 6. KLEINSCHMID *de Præcogn. Jur. Tract.* 4. *S.* 7. *n.* 42.

(m) OLDENDORP *de Jur. & æquit. c.* 3. *p.* 22. HUBERUS *Auspic. domest. Orat.* 6. *p.* 218. LEIBNITZ *de ratione Corporis Juris reconcinnandi* §. 72. 73. CHRIST. JO. CONR. ENGELBRECHT *Exam. h. distinct. vulgaris p.* 8. *sqq.* PRUCKMANNUS *P.* 1. *Cons.* 15. *n.* 32.

(n) COCCEJUS *de eo quod justum est in dubio S.* 6. *p.* 38. MENOCHIUS *de recup. possess. remed.* 15. *n.* 297. AFFLICTIS *Decis.* 45. FRAGOSIUS *de Rep. P. I. L.* 4, *disp.* 10. §. 3. PISTORIUS *P.* 3. *qu.* 40. *n.* 25.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0049
DFG

(o) utriusque Juris feudalis, Germanici & Longobardici. Diximus supra, (p) Francos primos fuisse autores feudorum; igitur hic ultro conficitur, ipsos, non Longobardos, (q) esse primos autores Juris feudalis, quod quidem ceu jus rerum non extitit ante feuda, sed tamen statim res insecutum est, etsi non necesse sit, insimul atque illico Jura feudalia fuisse scripta. (r) Primi Juris feudalis Germanici autores sunt *Reges Francorum*, quorum *Capitularia* (s) *atque Constitutiones de beneficiis* in manibus versantur tantum non omnium. Adauxerunt has leges Imperatores Teutonici (t) *Conradus II. Henricus III. Lotharius III. Fridericus I.* cujus ævo Privatus autor, quem ex MSS. ediderunt DUARENUS & THOMASIUS, (u) Jus feudale Germanicum methodo compendiaria

(o) Hæc enim in omnibus disciplinis clavis est doctrinarum fundamentalium. ULR. HUBERUS *Instit. Histor. Civ. Sp. in f.* SCHULTINGIUS *V. Cl. Orat. de Jurispr. histor. p. 810. in Jurispr. ejusdem Antejustinianea.*

(p) §. 8. *lit. l.*

Franci sunt autores Juris feudalis in Germania.

(q) Qui Italiam non attigerunt ante *annum* 583. adeoque ante Francos feudorum extiterunt nescii. Sponte sua consequitur, commentitium esse, quod fingunt alii, illos non quidem autores feudorum, sed nihilominus esse autores Juris feudalis. THOMASIUS *Sel. feud.* §. 2. 3. 24. 35. 39. CRAGIUS *L. 1. diegesi 9. supra* §. *lit.*

(r) ALTESERRA *de Orig. & statu feud. c. 1. p. 5.*

(s) Quæ edita sunt à BEATO RHENANO & nitidissime à STEPHANO BALUZIO, cui hoc munus *Archiepiscopus* PETRUS *de* MARCA per tabulas supremæ voluntatis imposuerat.

(t) De quibus GOLDASTUS *in Constitutionibus atque Consvetud. Germaniæ.*

De veteri autore de Beneficiis.

(u) *Ille in Commentario ad Consuetudines feudales.* Hic *in Selectis feudalibus p. 97.* sub nomine *auctoris veteris de beneficiis.* FREHERUS primus est, qui ipsius mentionem fecit movitque simul feudistis salivam. Habetur idem autor in *Corpore J. G. edito* à JO. STEPH. BURGERMEISTERO *p. 640. Adde* §. *b.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0050
DFG

diaria colligere ſtuduit, ſed ſuamet ſaltem autoritate. Prodiit deinde *Jus feudale Germaniæ Saxonicum* (v) cura, ut fama fert, *Epkonis Repkovii*, (w) qui pariter in *Svevia* excitavit JCtos, ut luci expoſuerint *Jus feudale Allemannicum*. (x) Præcipue *Seculo XII.* & ſequentibus Principes in Germania in cauſis feudalibus uti cœperunt (y) collectis pecularibus ac propriis regionum obſervantiis & conſuetudinibus, adeo ut è re eſſe putaverint, cum in civilibus, tum in feudalibus promulgare ordinationes provinciales. (z) Quamvis itaque in primis Juris feudalis Germanici Legibus ſuperſint argumenta, quæ hodieq; in foris Germaniæ uſum obtinent, (a) indubie tamen pleræque obliteratæ (b) ſunt atque mutatæ legibus recentio-

(v) GRYPHIANDER *de Weichbild. Sax. c.* 50. *n.* 5. CYRIACUS SPANGENBERG *Chron. Sax. c.* 247. Editio SCHILTERI non Gloſſata præferenda tamen eſt editioni CHRIST. ZOBELII. Adde WERLHOFIUM *Spec. 2. juris Germanici c.* 2. §. 175. LAMBECIUM *Bibl. Vind. L.* 2. *c.* 8. *p.* 831.

(w) PETR. HEIGIUS *Quæſt.* 8. *n.* 58. GOLDASTUS *in Rubr. Spec. Sax. p.* 126. SCHILTER *Ex.* 23. *th.* 63. oppido vero falſi ſunt, qui *Carolum M.* ſpeculi faciunt autorem. Lege LEUBERUM *de Stapula Sax. num.* 1318. CRANTZIUS *L.* 2. *Saxon. c.* 21. *De Speculo Saxonico.*

(x) Autor vulgo habetur *Comes de Grimmenſtein*, ſed traditio hæc GOLDASTI eſt *fidei ſubleſtæ*. Illud certum eſt, hunc Juris Codicem eſſe Saxonico recentiorem. BAYERUS *Poſ. ad ff. L. Tit.* 2. *n.* 373. LYSERUS *Collat. juris Sax. cum Rom.* §. 17. 18. TOLNER *c.* 4. *Hiſtor. Pal. p.* 118. Editio SCHILTERIANA *in Codice Juris Allemannici* præſtat editionibus HUPFUFFII, MEISNERI & GOLDASTI. *Et Svevico.*

(y) Cum cœperint pededentim ipſa feuda. *Vide* §. 12. *h.*

(z) CONRING *de O. I. G. c.* 27. *p.* 160. *Exerc. de Judic. Germ.* §. 85. HERTIUS *T.* 2. *Op. p.* 449.

(a) Faciunt huc rationes *Kulpiſianæ* atque *Thomaſianæ* in SINCERI *Diſputatione epiſtolari* §. 22. 25. *ſqq.*

(b) HEYDELMANNUS *in Diatriba de uſu Juris Romani Legumque*

centioribus. Ipsum vero Jus Saxonicum apud Saxones (c) usum suum saltim sustinet in argumentis, in quibus illi

De usu veterum Legum Germanicarum.

gumque Germ. autoritate præsenti §. 16. Exc. GRIBNERUS *de Jure incerto ex dubia Jurium autoritate oriundo §. 13. Exc. Dn.* HOFFMANNUS *in Conject. Politicis de Origine Legum German. p. 178. sq.* Quodsi enim verum fateri liceat, paucissimæ veterum legum Germanicarum, quas collegerunt ZASIUS, SICHARDUS, HEROLDUS, LINDENBROGIUS, PITHOEUS atque GOLDASTUS, quadrant indoli Reipublicæ hodiernæ. Mutatus est status publicus, mutatus Judiciorum ordo, mutata denique incolarum vivendi ratio. Collineant huc nonnullæ observationes *Kilonienſis Professoris & Consiliarii* HARPRECHTII *de non usu speculorum*, quæ tamen cum salis grano sunt accipiendæ. Neque dissentiunt *Cel.* TITIUS *Jur. Priv. c. 3. §. 54.* GOLDASTUS *in T. II. Constit. Imp. præf.*

De autoritate Juris Saxonici in singulis Provinciis Germaniæ.

(c) Habet tamen & suam ex receptione auctoritatem in *Lusatia.* LEUBERUS *disq. Stap. Sax. n.* 1342. in *Silesia.* SCHIFORDEGHERUS *ad Anton. Fabrum L. 1. Tr. 30. p. 254.* In *Bohemia.* MARTINI *Commentar. Ordin. Jud. Sax. præf. n. 69.* In *Porussia.* HARTKNOCH Alt und neues Preussen. *P. 2. c. 7. p. 546.* In *Ducatu Anhaltino.* HORNIUS *Jur. feud. c. 1. §. 27.* In *Holsatia.* WERLHOFF *Spec. Iur. Germ. II. p.* 187. In nonnullis vero Provinciis in causis plerisque abiit in desuetudinem, uti in *Marchia.* RHETIUS *Comm. I. F. proœm. n. 51.* in *Principatu Halberstadiensi.* LYNCKERUS *Decis.* 1264. in *Ducatu Bremensi.* MEVIUS *P. 7. Dec. 255.* In *Westphalia*, KLOCK *T. 4. Cons. 37. n. 27.* in *Hassia.* LIMNÆUS *ad. A. B. c. 5. §. 2. Obs. 5.* In aliis tamen, uti fertur, prorsus evanuit fuitque à Superioribus abrogatum, prouti in *Megapoli.* TORNOVIUS *de feud. Meckl. L. 1. c. 2. §. 16. p. 155.* In *terris Brunsvicensibus & Luneburgicis.* ENGELBRECHT *de decidendi Iuris fontibus in Brunsv. §. 16.* Denique in *Pomerania.* CHEMNITIUS, *Cancellarius Pomeraniæ, in Consilio inter Meviana 45. n.* 184. 165. COTHMANNUS *Vol. III. Resp. 35. n. 59. Doctiss. Dn.* GERDESIUS *in diss. Anniversar. de norma Judic. Controversias feud. & c. p. 26.* Verum illud addendum est, de abrogatione nondum prostare publica documenta, quin potius consuetudinum ex Jure Saxonico manifestissima vestigia, æque

illi per Leges provinciales recentiores non fuit derogatum. (d) Adeoque opus est in singulis provinciis cognitione atque lectione particularium ordinationum feudalium, quæ pro diversitate Provinciarum variant, & nunc Longobardizant, nunc vero Patriæ circulos non egrediuntur.

§. 24.

Jus Longobardicum Feudale indistinctum (e) solis dictum

æque ac hujus juris cum Jure Lubecensi argumenta harmoniaca satis evincere, communi sententiæ non absolute prorsus esse subscribendum. Binis verbis præterea repetendum est ex historia, suh Saxonum notione venisse olim complexum Germanorum septentrionalium inferioris atque superioris Saxoniæ, tum & universam Germaniam divisam fuisse in *Saxoniam* & *Franciam* sive *Allemanniam*, ut itaque vel ex sola hac observatione indoles Juris *Saxonici* atque *Suevici*, non secus ac uterque *Vicariatus Imperii Germanici* lumen accipiat. WITECHINDUS *Annal. L. 1. p. 634.* CONRADUS URSPERGENSIS *ad a. 912.* FRISINGENSIS *L. 6. Chron. c. 15.* PARÆUS *Hist. Pal. 510.* FREHER *in Notis ad P. de* ANDLO *L. 2. c. 10.* THOMASIUS *Sel. feud. p. 88. lit. y. p. 91. §. 70.*

Quas gentes olim comprehenderit Saxonia?

(d) RAUCHBAR *P. 1. qu. 38. n. 28. Excell. Dn.* SCHREITERUS *Diss. de Orig. Jur. Sax. Pos. 27. Cl. Dn.* LUNIG *R. A. P. Sp. Contin. II. p. 781.* Distinguendum tamen est à *Jure Saxonico communi* Jus Saxonicum electorale, quod obtinet tantum in terris Lineæ Albertinæ. HORNIUS *Jurispr. feud. c. 1. §. 33.*

(e) Quod dici meretur adversus VULTEJUM, qui *L. 1. c. 1. n. 5.* distinxit *inter Jus feudale constans vel ex rescriptis Imperatorum Germanorum*, vel *ex consuetudinibus Longobardicis.* Priori casu omnes in Imperio viventes illo Jure obligari asserit, secus vero posteriori. At neutro casu obligantur Germani, quos quidem utroque casu *receptio*, sed minime *virtus Legislatoria* obligavit. Scriptæ enim sint Imperatorum Leges intuiti Longobardiæ, tantum abest ut Germanos respexerint, ut potius Imperatores in Constitutionibus, quas Codex feudalis exhibet, Germanos neque obligare *voluerint*, neque *potuerint.* Non *primum*, quia Leges dixerunt Longobardis. *2. F. 54.* Non *alterum*

Jus Longobardicum latum est universim Italis.

II. De historia Juris feudalis Longobardici sub Regibus Italorum.

dictum datumque est Longobardis, qui sub Alboino Rege occupata Italia (f) primum vectigalia possessoribus prædiorum indixerunt, feudorumque deinceps rationes sibi commendatissimas habuerunt, ut militibus atque subditis Italis beneficia indulserint præscripserintque iisdem leges feudales, statui Italico accommodatas. (g) Primus, qui Leges Longobardicas in scripturam conjecit est *Rex Rotharius*, (h) quem secuti sunt *Grimoaldus*, *Luitprandus*, *Aistulphus*, (i) atque devicto Rege *Desiderio*, *Carolus M.* & Successores. (k) Horum capitula collegisse fertur *Petrus Cassinensis*, (l) & enata est ex his edictis Cæsareis tripartita illa *Lex Longobardica*, ad quam commentatus est SICULUS CAROLUS COTTA. (m) Usi sunt Longobardi

alterum, quia Leges ferre in Germania non Imperatoris est, sed Imperatoris & Ordinum Imperii simul. TITIUS *J. F. G. c.* 3. *§.* 16. STRAUCHIUS *diss. Jur. Publ.* 4. *§.* 14. HYPOLITUS à LAPIDE *de Rat. status J. G. P.* 1. *c.* 6. *S.* 2 PAURMEISTERUS *L.* 2. *de Jurisd. c.* 2.

(f) CONRINGIUS *de Orig. Jur. Germ. c.* 20. *p.* 110.

(g) THOMASIUS *in Sel. feud. p.* 86. *§.* 64.

(h) Circa *annum* 637. PAULUS DIACONUS *de Gestis Longobardorum L.* 2. *c.* 5. *L.* 4. *c.* 44. GAUDENTIUS MERULA *Antiquit. Medial. in f.*

(i) SIGONIUS *de regno Ital. L.* 2. *p.* 39. 46. *L.* 3. *p.* 58. BERNH. SACCUS *Hist. Ticin. L.* 9. *c.* 5.

(k) Vir *illustris* CHRIST. GODOFR. HOFFMANN *de Orig. & Nat. Legum Germ. Sect.* 4. *p.* 72. BALUZIUS *Capit. T.* 1. *p.* 327.

(l) LOTHARIUS *in Epistola ad Guibaldum Abbatem in Chron. Cassin. L.* 4. *c.* 125.

(m) Et denuo ANDR. de BARUTO, NIC. BOERIUS, & JO. BABT. NONNA. Eandem Legem inseruit GOLDASTUS *Collectioni Legum & Consuetudinum* æque ac LINDENBROGIUS *Codici LL. antiquarum p.* 503.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0054
DFG

gobardi his constitutionibus observantissime, (n) sed subiit mirari, illorum prudentiores non studuisse illas redigere in methodum ac ordinem. Post *Philibertum Episcopum* demum (o) *Consules Mediolanenses*, GERHARDUS NIGER atque OBERTUS de ORTO, ex Longobardorum Regum edictis, ex constitutionibus Carolinorum & Cæsarum Germanicorum, pariter ac ex rerum judicatarum seu morum autoritate, Prudentiorum responsis atque Juris Romani capitibus, (p) sub *Friderico Ænobarbo* rerum feudalium Constitutiones compilare aggressi sunt, privata licet autoritate. (q)

§. 25.

Innotuit nunc aliquantum Jus Longobardicum in Germania, cum Fridericus I. Imperator (r) ipsius Juris maxumus extiterit Præco atque Promotor. Alter ejusdem nominis Cæsar eandem viam incessit, (s) ac sub ejus re-

De Historia J. F. L. sub Germanorum Imperatoribus.

G gimine

(n) KULPISIUS *de LL. Germ. veterum usu* §. 10. CONRING *de O. I. G. c.* 22.

(o) Qui ineunte Seculo XI. scripsit *de forma fidelitatis*. GVIL. CAVE *Hist. Script. Eccles. p.* 418.

(p) Licet enim, dum Aistulphus Longobardorum Rex, Seculo octavo Græcis ejectis finem imponeret Exarchatui, Leges Romanæ apud Longobardos sensim defecerint, patet tamen ex ipsis Legibus Longobardicis usum Juris Romani prorsus haud evanuisse. HIER. RUBEUS *Hist. Ravennat. L.* 4. *p.* 131. & *Litteratissimus Dn.* BURCH. GOTH. STRUVIUS *Histor. Jur. Rom. cap.* 5. §. 6. *xxxx.*

An Longobardi nullis usi fuerint legibus Romanis.

(q) OTTO FRISINGENSIS *L.* 4. *c.* 13.

(r) Qui ipsum Daniæ Regem Canutum anno 1152. adduxit, ut regnum Daniæ in manus Regis sub nexu feudali refutaret. Diploma est apud SCHATENIUM *Annal. Paderb. T. I. p.* 737. LUDEWIGIUM *Reliqu. MSS. T. II. n.* 11.

(s) ENGELHUSIUS *Chron. p.* 1115. PAND. COLLENUTIUS *Hist. Neap. L.* 4. *p.* 183.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0055
DFG

gimine HUGOLINUS, *JCtus Bononienſis* ex compilatione conſulum atque conſuetudinibus in Italia ipſa variantibus ſelectum fecit, addiditque *Conradi III.* & *Fridericorum* conſtitutiones, (t) ut itaque huic demum debeamus Feudorum libros, quos Corpori Juris hodieque habemus adnexos. Opera atque ſtudio deinde JO. ARDIZONIS & JACOBI ALVAROTTI acceſſerunt poſt *Titulum LVIII. capitula extraordinaria*, (u) quibus denique agglutinatæ ſunt *Conſtitutiones extravagantes* (v) atque *feudales gloſſæ*. (w) Cum vero multa in his collectionibus male reperirentur ordinata, (x) cura ſua inclareſcere ſategit *Antonius Mincuccius de Prato veteri*, (y) qui uſus feudorum in ſex libros digeſſit dedicavitque illi epitomen Juris feudalis *Sigismundo* & *Friderico V.* (z) qui tamen ſecus ſentientes ac *Juſtinianus* (a) ipſius voto non aſſurrexerunt, æſtimaveruntque libellum imperiali autoritate

(t) PANCIROLLUS *de claris LL. interpret. L. 2. c. 35.*

(u) Quæ à JAC. CUJACIO reſtituta quidem ſed deſtituta ſunt uſu pragmatico. STRUVIUS *S. J. F. c. 1. aph. 7.* FINCKELTHUS. *Diſp. Controv. 16.*

(v) Quarum Gloſſator eſt BARTOLUS. HORNIUS *J. F. c. 1. §. 34.*

(w) Et quidem BULGARI, PYLEI, UGOLINI, VINCENTII, præcipue vero JAC. COLUMBINI & ARDIZONIS, PANCIROLLUS *Theſ. var. Lect. L. c. 90.*

(x) ANT. MONACHUS *de feud. interpret. c. 3. §. 43.*

(y) Quem avide diutius JCti, HOTTOMANNUS præcipue & CONRAD. RITTERSHUSIUS exſpectaverant, donec ſitim illorum ſatis reſtinxerint GREGORIUS HOLOANDER & JO. SCHILTERUS. Conferatur MAURITIUS *de Libris Jur. Comm. §. 25.* & HERTIUS *in præfatione Opuſculis Mauritii præmiſſa.*

(z) COCCEJUS *Hypomnem. J. F. Tit. 10. §. 9.*

(a) Qui famæ ſuæ conſulere putavit, ſi TRIBONIANI emblemata atq; collectiones imperiali ſuo nomine tueretur ac promulgaret.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0056
DFG

ritate indignum. (b) Idem fatum contigit BARTHOLOMÆO BARATERIO (c) ut & JACOBO CUJACIO, (d) qui feudorum textus in ordinem quidem coegerunt, auxerunt, fragmenta feudalia illustrarunt, sed peculiari auctoritate, usu publico non adprobata. (e)

§ 26.

Paulo facilius nunc fieri poterit disquisitio *de receptione Juris feudalis Longobardici ejusdemque indole atque autoritate.* Principio enim manifestum est, pro Italis saltim conscriptos fuisse Libros feudales, non pro Germanis. (f) *Deinde* consequitur, quæstionem nostram non confundendam esse cum *quæstione de receptione Juris Longobardici apud Italos*, quos illud jure originario ac legislatorio sive authentica obligavit auctoritate. In Germania hoc Jus vim atque virtutem suam sortitum est *ex receptione*, & hæc quidem vel est *privata sive Scholastica*, vel *publica sive curialis*. *Privata* receptio facta est à JCtis Seculo duodecimo sub Lothario (g) atque Fridericis, (h) &

Ipsa receptio Juris Longob. facta est Privatim à Jureconsultis Sec. XII. XIII. XIV.

G 2

(b) JO. FR. RHETIUS *Proœm. Consuet. feud. n. 19.* HORNIUS *c. 1. §. 28. 29.* LUDEWIG *Opusc. T. II. p. 1002. lit. ii.* Dissentiunt GOLDASTUS *Præf. T. 1. Statutorum & Rescript. Imper.* CUSPINIANUS *Hist. Frid. III. p. 411.*

(c) Cujus librum feudorum reformatum primus edidit NICOLAUS RIGALTIUS.

(d) ALBERICUS GENTILIS *de Libris Juris Civil. c. 9.*

(e) Rationem adfert SCHILTERUS *Præf. ad Minc. §. 15.* & hanc quidem, quod JCti auctoritati & glosis Juris feudalis communis adeo sint adsveti, ut novos libros superinducere, esset confundere glossam Juris communis,

Cur variæ J. F. Collectiones non usu fuerint approbatæ?

(f) *§. 24. lit. e.*

(g) Hujus ævo tamen abstinuerunt JCti adhuc feudalia Jura peregrina applicare ad principum regalia & territoria. *Perill. Dn.* à LUDEWIG *Comment. A. B. Tit. 29. §. 1. p. 978.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0057
DFG

(h) & quidem duplici occasione. *Prima* fuit decantatissima illa consuetudo Litteratorum in Germania, qui cum Patriam salutarent Academiis adhuc destitutam, fama & admiratione Juris Romani commoti se receperunt ad Bononiam atque Scholas Italiæ, in quibus se mancipaverunt glossatoribus, qui Jus Romanum atque Longobardicum, præcipue *Libros Mincuccii* explicuerunt multo applausu (i) Friderici primi ac Successorum. Jam vero, simulac Germani ex Italia (k) in Germaniam reduces, (l) reversi

De formula: Nach Lehn-Recht.

(h) Frequens nunc apud Germanos invaluit formula: **Nach Lehn-Recht.** Diploma habet BROWERUS *L.* 3. *c.* 13. *p.* 266. *a.* 1160, quo Abbas Fuldensis conqueritur, *Vasallos ejus plus sibi nunc juris arrogare in fundis, quam moribus illis olim fuerit permissum, idque propterea, quod autoritate novi juris, quod Lehnrecht nominent, se tuerentur.* Aliud exhibuit TOLNERUS *Cod. dipl. n.* 80. *de anno* 1219.

Cur Germani vocati fuerint ad Academias Italiæ?

(i) In id enim defixerat *Fridericus* sollicite animum, quo collapsam in Italia regiam autoritatem restauraret denuo atque in integrum restitueret. Optime ad palatum erant flosculi Juris Romani, qui multoties Imperatori *mundi dominium* vindicant. Opus itaque fuit ut Imperator glossatoribus blandiretur, quod & cum laude præstitit in *Campis Roncaliis*, quibus a. 1158. Scholaribus indulsit in Authentica *Habita C.* tot Academica privilegia, quæ vero hodie, quicquid etiam dixerit REBUFFUS, sunt otiosa, cum *Scholares* nunc commode in Patria studiis incumbant, nec se committant amplius calamitati itineris ad Scholas Italorum. LUD. BEBENBURG *de zelo vet. Germ. c.* 3. BULÆUS *Hist. Acad. Paris. T.* 2. *p.* 278. MIDDENDORPIUS *L.* 4. *p.* 11.

De Doctoribus Italicis atq; Scholarium numero.

(k) Quæ abundabat Doctoribus Juris Longobardici atque Romani. Commentitium enim est assertum, *Lotharium* Juris Romani auctoritate extinxisse in Italia Leges Longobardicas. *Vide* BALDUINUM *in Prolegomenis Commentar. ad Institutiones.* VAL. GVIL. FÖRSTERUM *Hist. Jur. Civ. L.* 3. *c.* 6. CHR. AD. RUPERTUM *ad Besoldi Synopsin p.* 561. GEORGIUM CALIXTUM *in Appar. Theol. p.* 135. *in arte nova p.* 114. CONRINGIUM *in Responsione ad* NIHUSIUM

(l) reversi sunt ad focos patrios & lares Judiciales, (m) præter Longobardica atque Romana ne verbulum quidem recitare sciverunt, (n) & tanta quidem subinde tumuerunt animi elatione Italica, ut suamet autoritate consuetudines Germanicas fastidire & Longobardicas nunc earum loco cœperint substituere. (o) *Altera* occasio repeten-

HUSIUM *& Tr. de O. J. G. c. XXII. p. 135. c. 23. p. 138. sq.* Omnium Coryphæus fuit IRNERIUS, *homo ebullientis animi*, qui repertum Codicem atque Pandectas privatis curis in scholas reduxit creavitque auditores suos *Jurium Doctores*. SIGONIUS *ad a. 1136. p. 267.* ODOFREDUS *in Comm. ff. Tit. 1.* CONRINGIUS *Antiq. Academ. Diss. 4. p. 134.* Hujus vestigia insecuti sunt AZO, BULGARUS, MARTINUS *Cremonensis*, HUGO à PORTA, HUGOLINUS, ROGERIUS, PLACENTINUS, ALBERICUS à PORTA RAVENNATE *Bulgari Discipulus*, AZO, BALDUINUS *Bononiensis*, ROFREDUS *Beneventanus*, GOSIUS aliique, de quibus MORENA *de rebus Laudensibus apud* LEIBNITIUM *T. 1. p. 818.* BUMALDUS *de Doctor. Bononiens. p. 4.* RADEVICUS, PANCIROLLUS, & GRAVINA. De Studiosorum numero sufficiens est testimonium SIGONII *L. 4. Hist. Bonon. in f.* ubi ita: *Azonis tempore Bononiæ vixerunt decem Studiosorum millia, quæ multitudo indicat* variarum gentium studiosos *ibidem studiis operam navasse*. Quinimo testis est ipse *Imp. Fridericus I.* Landgravium Thuringiæ, *Ludovicum Pium*, binos ex filiis studiorum causa in Parisiorum scholas misisse. FREHERUS *T. 1. p. 416.*

(l) Et magna quidem spe, fore ut adsciscantur præceteris in aulas, fora atque curias. RADEVICUS *L. II. c. 5.*

(m) ARNOLDUS LUBECENSIS *L. 3. c. 5.*

(n) Quid? quod adeo incarcerati fuerint lectionibus Antecessorum in Italia, ut veriti sint, propria uti industria. Ita enim HOSTIENSIS *Cardinalis in C. pr. X. de Testam. n. 2: As, id est, duodecim unciæ, as ergo quandoque ponitur pro obolo, propter quod verbum venit Bononiam studium civile, sicuti audivi à Domino meo Azone.*

(o) In promptu sunt rationes apud KULPISIUM *in Dissertatione epistolari* atque THOMASIUM *in Delineatione Historiæ J. R.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0059
DFG

da est ex Seculo decimo quarto atque sequenti, in quibus in ipsa nunc Germania institutæ sunt Academiæ, p) adeo ut amplius nunc opus non fuerit, excurre e ultra fines Germaniæ, & ab Italis responsa Juris in causis controversis mercari. Tanta vero animos Doctorum occupaverat religio transalpina (q) ut æque ac Judices in sinu gavisi

In quem finem demum in Germania Academiæ sint institutæ?

(p) In hunc certe finem, ut Imperatores Germanorum libertati glaucoma obducerent studio absoluti imperii, quod in Legibus Romanis tribuitur Imperatoribus. Sub tegumento itaque, ut sumptibus parcerent Germani, atque cultior fieret Germania, institutæ sunt apud *Viennenses*, *Erfurtenses*, *Heidelbergenses* & *Ingolstadienses* Seculo XIV. Juris Romani Academiæ, adeo ut infallibile mihi videatur axioma: *In illis provinciis majorem Juris Romani esse autoritatem, in quibus vetustiores aut plures reperiantur Academiæ.* LAMBECIUS *Bibl. Vindob. L. 2. c. 5. p. 85.* TOLNERUS *Cod. diplom. p. 123.* Equidem Pontifices frontem opposuerunt institutis Academicis, sed mox deferveſcente zelo bonis precibus *Guelphicam factionem Juris civilis* sunt prosecuti, in primis Libris Codicis præcipua fundamenta Papatus & Papo Cæsariæ delitescere animandvertentes. *Carolus IV.* Imperator, quo hæc instituta magis eveheret, in metropoli, Jurisprudentiæ scholam instituit condiditque *Pragæ* anno 1365. Accedit *Friderici III.* quem alii V. vocant, industria, cui civitas Luneburgensis debet privilegium, quo a. 1471. illa indipiscitur facultatem, *Romanas Leges legere resumere ac disputare.* SAGITTARIUS *Histor. Civit. Luneb. a. 1471. p. 31.* Demum *Maximilianus* comitiali diplomate jussit Principes electores, ut singuli in territoriis suis conderent Juris Academiam.

Magna autoritas fuit Doctoribus Romanizantibus.

(q) Præcipue cum intelligerent, juris civilis Doctores vocari ad curias & professiones. *Ludovicus Bavariæ* vocavit UDALRICUM, hominem in utroque Jure peritum: *Carolus IV.* BARTOLUM, *at quantum virum!* inter consiliarios & equites recepit, pariter ac LUPOLDUM *Babenbergensem* & JOANNEM ANDREÆ. *Sigismundo Cæsari* à consiliis secretioribus fuit GEORGIUS FISCELLUS. Quin imo Dux Pomeraniæ *Bogislaus X.* PETRUM RA-

Speciatim in Pomerania.

VEN-

visi sint, quoties in cathedris peroraverint formulas Jurium Romanorum & Longobardorum. (r) Habes hic Juris Longobardici receptionem in Germania, sed tantum quoad usum, vel si mavis, abusum PRIVATUM *dogmaticum* sive *instrumentalem pædagogicum* atque *Judicialem.*

§. 27.

VENNATEM ejusdemquo filium VALENTINUM ex Italia secum duxit, constituitque PETRUM *Professorem Gryphswaldensem*, qui responsis suis Longobardicis plures lites excitavit inter Pomeraniæ vasallos. BAILIUS *Diction. Hist. & Crit. T.* 1. *voce Bulgarus.* GRAVINA *de ortu & Progr. Jur. Civ. p.* 178. Conferantur subscriptiones Recessuum & Annales Provinciarum apud KESTNERUM *de def. Jur. probl. I.* §. 8.

(r) Diutius tamen militaverunt *Scabini*, Viri Senes, simplices, morum & æquitatis solius gnari, pro observantia morum atque consvetudinum Germanicarum, adeo ut in plurimis Germaniæ civitatibus cogitatum fuerit, de excludendis Doctoribus Romanis à consiliis. WINTHER *de Privileg. Doctorum c.* 18. ITTERUS *de Grad. Academ. c.* 2. §. 18. Præcipue *Friderici III.* ævo a. 1441. promulgata est constitutio in Comitiis moguntinis, quæ Romanos doctores à Judiciis arcet & peregrinas Leges è foris exterminat, illis exceptis, quas usus probavit & naturalis æquitas, ausgenommen welche zur Nothdurfft erkannt werden/ uti verba sunt apud GOLDASTUM *Const. Imp. T. II. p.* 95. *art.* 7. Conferantur BESOLDUS *de Præmiis & pœnis c.* 8. §. 5. MULLER Reichstag *Theatro P.* 1. *c.* 5. HIP. à LAPIDE *Prof.* §. 21. DATTIUS *de P. P. L.* 4. *c.* 1. *n.* 150. Faciunt huc pariter testimonia de despectu Legum Romanarum apud Germanos PETRI ab ANDLO *L.* 1. *c.* 10. POGGII *Florentini*, *in Convivali II. p.* 16. GOLDASTI *in literis ad Hortlederum*, ubi disserit cum *de instituto comitiali* de conficiendo Codice Jurium Germaniæ provinciarum, tum *de suomet ausu*, patrii Juris argumenta colligere ac restaurare.

Salva tamen Jurium Germanicorum prærogativa declarata fuit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0061
DFG

Publice, Principibus non contradicentibus, in Camera Imperiali a. 1495. demum facta est F. L. receptio.

§. 27.

Publica receptio Juris feudalis Longobardici in Germania, utut pro ambigua reputetur vulgo atque pro ancipiti, (s) indubie (t) facta est, æque ac Juris Romani

(s) LUDEWIGIUS *Jur. Clientel. præf.* §. 8.

(t) Non enim est, ut amplius in simplo fluctus moveas atque reponas: *Dubium I. de usu F. L. ex Sec. XII.* *De usu Romani Juris manifestissima jam Seculo XII. atque sequentibus adesse documenta.* Largior enim *primo*, Jus Romanum, quod citius in Germania innotuit, quam collectio Justinianea, Francorum tempore jam adeo cognitum extitisse, ut multoties *Capitularium Francorum* collectores prata sua irrigaverint formulis *Codicis Theodosiani.* SCHILTER *Ex. ad ff.* 48. §. 19. HERTIUS *T. II. Op. p.* 423. *Deinde* assero, Fridericorum ævis Jura Romana adamata fuisse in cathedris atque judiciis, sed addo, illa usum non obtinuisse ex *Legis publicæ necessitate*, verum saltim *vi rationis* sub æquitatis aut juris civilis universalis specie, atque *usus dogmatici* prætextu. *Responsio.* Res liberabitur à difficultate, si distinxeris usum *minus solemnem*, *doctrinalem*, vel ex publica conniventia in dirigendis formulis *processualem*, ab usu *legali* publico atque in definiendis Jurium controversiis *forensi*, cujus virtus pendet demum à Cameræ ordinatione atque fine Seculi decimi quinti. Operæ pretium non est, dissentientium rationes recitare seorsim, sufficiat de novissimo asserto PHILIPPI BALTH. GERDESII *in Acad. Gryph. Professoris celebratissimi* breviter dispexisse. Ita vero ille in *Dubium II. ex Gerdesio.* *diss. de norma judicandi Leges feud. in Germania p.* 25: *Ab autoritate Hornii.* HORNIUS *testis est consuetudines feudales Longobardicas Seculo XIII. in foris Germaniæ receptas esse.* *Quod confirmare videtur antiquum privilegium Sundensibus à Principe Rugiæ* WIZLAO *datum, quod* THOMAS KANTZAU *in Hist. Pom. MSS. sic refert: Nec ad aliquod Jus Canonicum, Civile, Vasallagium, dictum* Mann-Recht/ *quis extra nostram civitatem Strahlsund an.* 1290. *Sicut vero per Jus Civile & Canonicum indubie Justinianeum & Pontificium, ita per Vasallagium intelligi Longobardicum certo asserere licet, cum hæc jura plerumque connectantur, & judicium feudale vulgo* Mann-Gericht *vocetur.* *Et significatu vocis Vasallagii* **Mann-Gericht.** Dum vero ad HORNIUM provocat, luculenter patet ex *Responsio.*

ipsius

mani receptio, (u) Principibus non contradicentibus in
H *Camera*

ipsius *Commentario feudali*, illum nuspiam asseruisse *publicam* receptionem ante Seculum decimum quintum. Ubique enim adsunt fida documenta Seculi *duodecimi*, *decimi tertii*, *quarti* & *quinti*, quæ Jurium Germanicorum publicæ observantiæ quidem meminerunt, sed nunquam usus solemnis ac simultanei Juris Romani usque ad ævum Maximiliani *vid. seq. lit. v.* Testem excito ipsum *Cæsarem Fridericum I. in Constitutione de regia Imperii transalpini sede de a. 1166.* ut & ALBERICUM *ad a.* 1234. qui causæ feudalis controversæ quidem mentionem fecerunt, sed nullius Juris Longobardici, quin potius solius Juris Germanici. Idem evincunt GODOFREDUS MONACHUS *ad a.* 1208. 1234. 36. & LEHMANNUS *Chron. Spir. L. 4. c. 32.* cum in Comitiis & Recessibus diserte statutum fuerit: **Daß alle Fürsten nach Landes Sitt und Gewohnheit richten/ und die Gewißheit nehmen sollen/ daß dem Kläger gerichtet werde nach Landes Gewohnheit.** Succinit RUDOLPHUS in *Comitiis Wurtzburgensibus a.* 1287. 1291. LEHMANNUS *L. 5. c. 8. p.* 629. Et ejusdem commatis sunt constitutiones *Alberti I.* & *Ludovici Bavari de a.* 1315. apud GOLDASTUM *Const. Imp. P. II. p.* 25. *Tit.* 4. *n.* 3. Accedit, quod in A. B. quidem *Carolus IV.* Titulum vigesimum quartum ex Jure Romano exscripserit, sed ipsius usus legalis nullibi, ubique vero saltim Juris Saxonici & Franconici fecerit mentionem. Præterea *Sigismundus in decreto ad controversias Principum Palatinorum de a.* 1417. res feudales definiendas dixit, **nach teutscher Rechten Gewohnheit und teutschen Rundschafften wie es um der Reichs-Lehen wäre.** In eandem sententiam idem Imperator scripsit *in epistola ad Concilium Basileense a.* 1434. Nec aliter unquam judicavisse *Albertum II.* & *Fridericum III.* copiose liquet *ex Constitutione de a.* 1437. §. 5. *ex decretis Moguntinis de a.* 1441. non secus ac *ex rescriptis ad dissidia Principum Palatinorum a.* 1448. quibus in causis illustrium decisiones ex Jure Romano non derivandas, neque in privatorum argumentis petendas esse edicunt, nisi Leges à moribus Germaniæ approbatæ fuerint atque commendatæ à sana ratione. MULLERUS *P. 4. c.* 15. Illud vero, quod *Vir doctissimus* de Vasallagio, speciatim *in Pomerania* ex KANTZOVIO affert, insimul illum movere potuisset,

Ratio I. responsionis.

Ratio II.

Ratio III.

Ratio IV.

Ratio V.

Ratio VI.

Dubium III. motum ex Kantzovii MSS.

Camera Imperiali per *Maximilianum*. (v) Quamvis enim KULPI-

Responsio.

potuisset, quo minus hanc vocem pro *Jure Longobardico* acciperet, cum expediti sit juris, *moribus Germanorum* obtinuisse olim das Mann-Recht in controversis causis *à Curiæ Paribus* definiendis. Sächsisches Lehn-Recht *Art.* 55. Land-Recht *Gl. L.* 3. *art.* 78. LUDEWIG *de foro subfeudorum Imperii App. Monum. Lit. O.* THUMMERMUHT *Tr.* von Krumstab. *fundam.* 2. *n.* 32. B. LUDOVICI *Proc. feud. c.* 1. CAROLUS du FRESNE *Glossar. voce Pares.* Quanta vero inter Pares Curiæ sive Judicium feudale Juris Longobardici ac Juris feudalis Teutonici intercedat differentia, copiosis argumentis ex altera parte VULTEJUS *de feud. L.* 2. *c.* 2. *num.* 24. STRUVIUS *Synt. J. F. c.* 16. *aph.* 6. MYNSINGER *Cent.* 4. *Obs.* 89. PISTORIS *Conf. Vol.* 1. *conf.* 60. ex altera vero SCHILTERUS *Comm. Jur. Allem. c.* 116. LUD. SCHRADER *de feudis P.* 10. *S.* 5. SCHOTTEL *de Vet. Germ. Jur. c.* 4. §. 6. REINHARD. *differ. Jur. Civ. & Sax. P.* 3. *diss.* 13. & alii curate docuerunt. Ipsa praxis hodierna Pomeraniæ, quæ in argumentis *inter Dominum & Vasallos* controversis, feudali judicio secus ac praxis *Saxoniæ*, *Brandenburgensis*, *Brunsvicensis*, *Anhaltina* & *Magdeburgensis*, hodieque locum indulget, robur denuo addere videtur sententiæ, quod Mann-Gericht sit ipsum Judicium Patriæ moribus non Longobardiæ accommodatum. Hinter-Pommer. Hoff-Ger. Ordnung a. 1683. *Tit.* 31. §. 6. Lehns-*Constitution a.* 1694. *Tit.* 28. Regiments-Verfassung *in MSS. a.* 1654. *Tit.* 4.

(u) KESTNERUS *de defectibus Juris comm. p.* 30. BAJERUS *L.* 1. *T.* 2. *ad ff. p.* 377. DATTIUS *de P. P. L.* 4. *c.* 1. *n.* 103.

A fine Seculo XV. frequens in Legibus est memoria J. F. L.

(v) LEHMANNUS *Chron. Spir. L.* 4. *c.* 21. *p.* 337. Qui tamen in eo fallit, quod abrogatas per hanc receptionem putaverit consuetudines veteres Provinciarum Germaniæ. CONRINGIUS *de O. J. G. p.* 206. *& lit. z. h.* Ex hoc vero ævo ubique in Cæsareis Judiciis, in Recessibus atque Legibus frequentissima est Legum Romanarum ac feudalium Longobardicarum memoria, prouti evincunt *Ord. Cameralis de a.* 1495. *S.* 20. *Ordinatio Maximiliani* von Gottelästern *c. a. Tabula fœderis Suevici a.* 1496. *Tit.* 19. *Ordin. Cameralis Augusta de a.* 1500.

KULPISIUS inficias iverit, (w) sub *juris communis* vocabulo veniſſe jura Romana, ex tot argumentis atque circumſtantiis tamen manifeſtum eſt, (x) in Judicio Camerali ſub hoc nomine Juri Romano & Longobardico datam eſſe autoritatem. Conſultum viſum fuit Imperatori, aſſeſſores Cameræ adligare ad Romanorum Leges, à juſtitiæ laude tantopere commendatas, ne ſententias ferrent in magni momenti controverſiis *ex ingenio*, ſi DEFICERENT jura & conſuetudines Germanorum. (y) Nihil itaque iniqui habet hæc Longobardici Juris receptio, cum ubique ſervata ſit prærogativa Juris patrii conſvetudinarii præ jure ſcripto communi Cæſareo. (z) Satis enim patet *ex articulo 5. & 7. reformationis Moguntinæ*, ſerio in id animos defixiſſe ordines Imperii, quo tacite quidem *in Judiciis Imperii* Juri peregrino, uſum in *privatorum cauſis*, relinquerent, ſed ita minime, ut hanc receptionem in ſingula argumenta inapplicabilia univerſim

1500. T. 19. Cammer-Ger. Ord. zu Regenſp. *a.* 1507. *art.* 34. §. 2. *Ordinatio de Notariis a.* 1512. *Tit.* 1. *Tabulæ fœderis prorogati a.* 1512. *Tit.* 27. *Ord. Cam. Worm. a.* 1521. *Tit.* 32. §. 2. *Edictum Noribergenſe a.* 1521. *Receſſ. J. Spir. a.* 1529. § 39. *Ord. Crim. art.* 107. 118. 121. Erneur. *Proceſſ.* Ordn. *in Corpore Receſſ. de a.* 1538. *p.* 347. *Reform. Polit. de a.* 1548. *Tit.* 3. *Receſſ. J. a.* 1667. §. Nachdem wegen Feloney. *Ord. Pol. a.* 1577. *Tit.* 17. §. 8. *R. J. a.* 1654. §. Benebſt ſollen. *Ord. Jud. Aul. Tit.* 7.

(w) *in epiſtolari diſſ. de Legum veterum uſu & autoritate præſenti* §. 82.

(x) THOMASIUS *in Notis ad Kulpiſium* & GRIBNER *de Jure incerto* §. 14.

(y) DUCK *de Autor. Jur. Civ. L.* 2. *c.* 2. §. 10. *fallit vero in* §. 18. 20.

(z) Patet hoc ex Juramento, Aſſeſſoribus *in Comitiis Wormatienſibus* præſcripto: Nach redlichen erbaren Ordnungen / Statuten und Gewohnheiten der Fürſtenthumb/Herrſchaffren und Gericht zu ſprechen. DATTIUS *de P. P. p.* 876. Idem aſſeritur *in Ordin. Camera-rum.* *Quod receptum eſt ſalvis moribus feudalibus Germaniæ.*

sim proferrent, jura domestica abrogarent, (a) multo minus suomet Juri ac libertati legibus privatorum superiori renunciarent, (b) atque per liberam receptionem conditiones suas redderent deteriores. Imprimis hæc Juris Longobardici receptio atque Maximilianea constitutio *Cameræ circulos* non egrediuntur, (c) cum *universim* in Camera Imperator quidem Jura Italiæ receperit, sed recipere noluerit, certe non potuerit *in singulis provinciis*, (d) in quibus, quis usus Juris Longobardici esse

Camerali Augusta P. 1. Tit. 57. Ordin. Cameral. P. I. c. 13. Ein jeder soll seine Unterthanen in ordentlichen Rechten lassen und halten/ nach jeder Herrschafft Gebrauch. GOLDASTUS *L. 2. de Majoratu c. 16. §. 5.* 10.

(a) STRUVIUS *S. J. C. Ex. 2. §. 35.* LINCKIUS *de Juris Justin. recept. P. 1. n. 30.* BURGOLDENSIS *ad J. P. O. P. 1. disc. 3.*

(b) *Dn.* GRIBNERUS *JCtus excell. de abusu J. Justin. in præjudicium Principum p. 9. lit. c.*

(c) *illustr. Dn.* UNVERFÆHRT *Administ. Curiæ Mecklenburgensis intimus Diatr. de recept. & autoritate J. R. S. 1. §. 12.*

Num receptio facta in singulis Provinciis?

(d) Speciatim de *Saxonia* testis est *Eques* HUTTENUS in libro quem *Nemo* inscripsit *p. 21.* quod ineunte Seculo decimo sexto ignoravit Bartolum atque Baldum. ÆN. SYLVIUS *Descr. Europ. c. 24.* Dn. SCHREITER *de Orig. Jur. Sax. p. 30. Dn.* GRIBNERUS *d. l. p. 8. lit. b. de Jure incerto §. 14. lit. l.* PARTHENIUS *litig. L. 1. c. 1. n. 20.* In *Holsatia* atque *Ducatu Sleswicensi* convenit adhuc *an. 1522.* inter *Christianum II. Reegem* atque *Holsatos*, lites forenses decidere juxta vetera statuta, jura Saxonica atque Leges Valdemari. MEURSIUS *Hist. Dan. L. 3. p. 82.* De HELVETIA testatur JO. SIMLERUS *de Rep. Helvet. L. 2. p. 139.* quod Judices causas decid-erint non ex Romano Jure & responsis JCtorum, sed ex æquo & bono, ex legibus singulorum populorum. *Cl.* ENGELBRECHT *de causis impediti successus tenatæ emendat. Justitiæ. p. 8.* Neque Seculo decimo sexto apud *Frisios* fuisse præsentissimum usum Juris Italici commemorant

Neg. in Saxonia.

Holsatia.

Helvetia.

Frisia.

esse debeat *sigillatim*, pedentim Principes ipsi determinarunt vel pariter tacita, (e) vel quæ rarior est, expressa (f) Juris Romani receptione. (g) Quæ utroque casu facta est salvis moribus domesticis, salva indole cujuscunque provinciæ, (h) adeo ut nunc facile ad intelligendum sit, quousque autoritas & authentia Juris Longobardici pertingant in foris Germaniæ.

§. 28.

Quodsi enim saltim Jus Longobardicum receptum conferamus cum moribus, quibus (i) Germani ante hanc receptionem steterunt, originariis; facile elucet indolem

De Indole receptionis & usu Juris Longobard. in foris Germaniæ.

memorant UBBO EMMIUS *Hist. Fris. L. 2.* KEMPIUS *de Frisia p.* 183.

(e) Dum JCtos Romanos in consilium adhibuerunt, in constitutionibus & ordinationibus ad Jura Romana provocarunt, Professores Legum in Academiis constituerunt, qui usi sunt facultate respondendi de Jure. Evolve hic scripta *Cameralistarum* GAILII præcipue, MYNSINGERI & JO. DECKHERI.

De J. F. L. tacita receptione in Provinciis Germaniæ.

(f) Quæ facta est in *Marchia* per *Rec. March. de a.* 1534. PRUCKMANN *Vol.* 1. *Cons.* 21. *n.* 130. In *Ducatu Brunsvicensi* per constitutionem Rudolphi Augusti *de a.* 1675. *d.* 24. *Sept.* KNICHEN *de Pact. Invest. P.* 1. *c.* 1. *n.* 53. In *Ducatu Megapolitano*, ex CARPZOVIO atque COTHMANNO asserente STRYCKIO *disc. prælim. ad U. M. ff. §. 31.* In *Pomerania* eamdem librorum feudalium receptionem propugnant MEVIUS *Cons. 90. n.* 130. COTHMANN *Vol. 4. Cons.* 19. *n.* 51. Nec aliter res sese habet in *Comitatu Lippiaco*, uti pellucet ex *Ord. Jud. Aul. Comit. p.* 2. *c.* 26. *in f.*

De ipsius receptione expressa in Marchia. Ducatu Brunsvicensi, Megapolitano & Pomeraniæ. In Comitatu Lippiaco.

(g) Licet vero Jus Longobardicum publica autoritate superbiat, manet nihilominus jus non scriptum consuetudinarium, quod privata Jureconsultorum, non publica *Legislatoris* autoritate munitum manuque est exaratum, usu demum in fora introductum. *Cel. Dn.* STRUVIUS *Hist. Jur. c.* 8. *§.* 21. *in f.*

Juris Long. vis est consuetudinaria.

(h) Quod nequidem diffessus est *L. B. à* LYNCKER *in Analect. ad Struvii Synt. Ex.* 2. *§.* 35.

(i) *Vid. §.* 23.

indolem receptionis non esse exclusivam, (k) correctoriam, (l) vel quæ deroget Legibus primariis atque vetustioribus, (m) sed esse suppletoriam Legum Germanicarum atque subsidiariam, (n) quæ juri feudali patrio tribuit prærogativam atque jura natalitia prioritatis. (o) Non

(k) ERICUS MAURITIUS *de libris Juris Comm.* §. 22. PHILO *de necess. Jure c.* §. 57.

De falsitate brocardici feudalis primi circa J. F. L. interpretationem.

(l) Cave, ne his communes fabulas incrustes: *Feudalia statuta provincialia interpretationem accipere à jure communi, corrigenda, restringenda illa esse atque ita explicanda, ut quam minime abeant à jure Longobardico.* GAILIUS *L.* 1. *O.* 50. CARPZOV. *Prax. Crim. P. II. qu.* 65. *n.* 36. GOMEZ *var. Resol. T.* 1. *c.* 11. *n.* 37.

Secundi, circa J. F. L. receptionem.

(m) Falsa proinde est regula: *Juri Longobardico moribus domesticis adverso standum esse quousque illud in illo argumento abrogatum esse, non fuerit probatum.* CARPZOVIUS *Decis.* 295. *n.* 21. ZASIUS *in L. proper. C. de Judic. n.* 20. Cum qua fabella coincidit axioma practicum: *Legem Longobardicam allegantem habere fundatam intentionem, atque adversario incumbere probationem, Legem contrario usu fuisse abrogatam.* Prorsus inconcinna est hæc fallentia, cum frustra quæratur de abrogata lege Longobardica, quæ non est recepta existente priori contraria Lege patria. BERLICHIUS *P.* III. *Conclus.* 24. *n.* 9. LIMNÆUS *ad A. B. c.* 5. §. 2. *Obs.* 8. STRAUCHIUS *in Irner. non errante c.* 2. 7. Quid? quod receptio, quæ facti est, juri communi autoritatem tantum tribuat in argumentis, quorum rationes concordes sunt cum statu Germanorum. Ut itaque facile appareat, quid dicendum sit de LYNCKERI *observabilitate, aptitudine*, sive *usu Legum potentiali*, vi cujus ipsæ otiosæ doctrinæ Juris Romani *de popularibus actionibus, de Jurisdictione, de pactis nudis, stipulationibus, servis, processu quiritum, actione Triticiaria, de privata in jus vocatione, & innumera obsoleta inapplicabilia alia argumenta* non possunt non esse in viridi observantia. *Conf. sequ. lit. u.*

Tertii, circa J. F. L. probationem.

(n) HERTIUS *de Consultat.* §. 15. BESOLDUS *de Præmiis c.* 7. §. 3. aliique plures.

J. L. est jus subsidiarium

(o) Cum enim jus Longobardicum receptum sit instar subsidii & in illis quidem argumentis quæ *destituta sunt patriæ dispositionibus* & ex *communi*

Non sufficit vero nosse ex receptione autoritatem Juris Longobardici *subsidiariam*, opus etiam est, ut intelligamus vim vocis, quomodo illud & quando sit vocandum in subsidium atque usum. *Principio* illi locus est deficientibus consuetudinibus provincialibus in argumentis quæ Jure patrio decisa non sunt. (p) *Deinde* usus ipsius in curiis feudalibus manifestus est in illis capitibus, quæ non

communi illo jure indoli Reipublicæ Germanorum non repugnantem inducunt applicationem; sponte sua consequitur, quod principe loco non attendendæ solum sint *Leges provinciales* & *mores veteres Germanici feudales*, quibus instar *Juris primarii* cum in feudis Imperii mediatis, tum immediatis usi sunt Germani *ante factam Juris peregrini receptionem*; verum etiam constitutiones quæ recentiori ævo promulgatæ sunt in singulis regionibus atque provinciis, prouti evicerunt *ill. Dn.* THOMASIUS *de Princ. potest. ferendi LL. contra jus commune p.* 11. JO. HAGEMEIER *de usu & aut. Juris c.* 10. ALBER. GENTILIS *de libr. Juris c.* 9. SCHILTERUS *in Codice Juris feudalis Allemannici.* Saltem cum hac cautela legendus est *ultimus auctor*, ut caveamus, ne pro oraculis habeamus, quæ ille cum KNICHENIO *de Provocat. Sax. c.* 3. *n.* 14. *p.* 255. exscripsit ex utroque speculatore. Licet enim reperiantur nonnullæ apud hos Juris patrii laciniæ, pleraque tamen capita compilatores, qui fuerunt homines privati, plebeji & novaturientes, sine ullo selectu atque judicio ex Jure Longobardico conduxerunt, & quod curate docuerunt HARTM. PISTOR. *P.* 1. *qu.* 16. *n.* 11. *P.* II. *qu.* 25. *n.* 55. *qu.* 26. *n.* 18. JAC. FRIEDR. LUDOVICI *in præf. ad Jus feud. Saxonicum*, putidis figmentis atque nugacissimis juris peregrini dicteriis, beneficiaria Patriæ instituta obduxerunt & contaminarunt. Memorabile testimonium est HENRICI GLOESTENII *apud* HAMELMANNUM *in Chron. Oldendb. p.* 93. *circa a.* 1336. Idem fere dixerim de *autore veteri de beneficiis*, in quo pariter argumenta leguntur, quæ redolent nænias speculatoris atque plagia Juris Longobardici. In partes hic tamen vocanda est *docta diss.* CHR. THOMASII *de usu libri veteris de beneficiis.*

De cautela in legendo Schilstero.

(p) PUFENDORFF *Fecial. Eur. p.* 834. GRAVINA *de Orig. Jur. Civ. pr.*

non repugnant indoli Reipublicæ Germanorum, (q) sed ad fora Germanica trahuntur rationabili applicatione. (r) Summatim usus Juris Longobardici in Germaniæ foris *proportionatus* est in causis *civium* seu privatorum; (s) *certus* est ex receptione, *deficientibus* Patriæ institutis, (t) denique etiam *curatus* est ac *rationabilis*, qui sub his suppositis in illis saltim versatur argumentis, quæ moribus genioque Germanorum appositè congruunt. (u)

§. 29.

(q) §. *seq. lit. b.*

(r) JO. REINH. GRUBE *Spicil. de varia fort. J. R. in Poruss. Regno* §. 2. MEVIUS *ad Jus Lubec. qu. præl.* 2. *n.* 9. JO. JAC. RANISCH *Præl. de Inconv. Juris Germ. interpret. p.* 16.

(s) Non in causis Juris publici atque feudis Imperii, nequidem in feudis Provincialibus, quæ indolem habent feudalem *recognitam.* §. 27. *lit. b.*

(t) §. 27. *lit. y.*

An Jus Longob. integrum receptum sit faciatque pro allegante præsumtionem?

(u) Evitanda est hac explicatione controversia inter SCHILTERUM atque KULPISIUM exagitata, *de receptione Juris Justinianei integrali* atque *fundata intentione allegantis Legem Romanam*, quam utramque SCHILTERUS *Ex.* 1. *ad ff.* §. 12. asseruerat, sed negaverat KULPISIVS *peculiari dissertatione.* Pro *negativa* militant ratio, æquitas atque historica argumenta apud KESTNERVM *de Def. Juris comm. p.* 31. §. 12. LEHMANNVM *L.* 4. *c.* 21. BAYERVM *præf. ad Positiones in ff.* THOMASIVM *de statu Controv. in qu. de usu Juris Justin.* §. 46. *Affirmativam* vero sustinent communis observantia atque

Autores negantes & affirmantes.

forenses rationes apud LINCKIVM de *recept. Iuris R. diss.* 2. HOPPIVM *disc. præl. in ll. M.* §. 28. *Celeberr. Dn.* BERGERVM *de usu act. pœnalium* §. 9. DUCKIVM *de autor. J. C. L.* 2. *c.* 2. §. 10. THOMASIUM *Delin. Hist. Iuris.* §. 170. *in notis ad Monzambanum c.* 5. §. 13. *in Vindiciis Corollarii Iuriprudentiæ Ante-Iust. insertis p.* 210. atque *Dn.* UNVERFÆHRT *Diatr. de recept. & autoritate præsenti I. R. p.* 21. Verum, ne tandem res in Logomachiam abeat non plus uni, minus alteri, suum cuique potius Juri tribuendum est. Prima

Certior atq; fida sententia proponitur.

sententia jus novum obtrudit, altera tollit, certe reddit incertum. Imposibilis enim est probatio receptionis & usus singularum Legum, cum prorsus fallax sit illatio à loco uno ad alterum, à testimoniis & observantiis

§. 29.

Ex adverso haud difficile nunc judicari poterit de *non usu Juris feudalis Longobardici in judiciis Germanorum*. *Principio* enim illud otiosum est *in argumentis Principum* (v) *atque Imperii feudis*, quæ longe diversissimam naturam habent ab indole Juris communis (w) consuetudinarii. *De Abusu & non usu Juris Long. in curiis Germaniæ.*

I *Deinde*

vantiis ad præjudicia. Adeo, ut, si in singulis Legibus ab actore allegante requirenda foret probatio receptionis, lites ex lite & causa interim principali quiescente prorogationes Justitiæ multiplices nascerentur, & tanta judices divexarentur incertitudine, ut, quo pedem figant, non reperiant. Dic itaque: *Juri Romano non deneganda est universalis receptio*, sed adde, *quatenus moribus, indoli, rationibus ac institutis Germanorum non adversatur.* In promptu sunt exempla *de potestate magistratuum, de rebus communibus & publicis, de privata in jus vocatione, de contractibus b. f. & stricti juris, de actione quod metus causa, de lege f. ff. de Rei vindicatione*, quæ omnia capita sunt otiosa atque in foris non usualia. Non, *quia receptio demonstrari nequit*, sed quia illa rationes supponunt, quæ non conveniunt cum nostris temporibus, quia non vivimus in statu populari & democratico, quia exulant apud Germanos Processus formularius & accusatorius, interrogationes in Jure, arbitria & jussus, prætor & judex pedaneus. Si hæc intellexeris, non est, ut anceps hæreas in quæstionibus, *quæ sit juris Romani auctoritas, si conferatur cum alio?* est enim subsidiaria: *& quousque receptum sit, an integrum, an & qua ex parte?* receptum enim est eousque, quousque indoli Reipublicæ è diametro non contrariatur.

(v) HERM. CONRINGIUS *de O. J. G. p.* 273. FERD. VASQVIUS *de Controvers. illustr. L.* 2. *c.* 51. *n.* 29. *sq.* ANONYMUS *dans le traité des droits de la Reyne tres Chretienne sur divers etats de la Monarchie d'Espagne p.* 157. HORNIUS *in jure publ. c.* 12. §. 7. TITIUS *spec. J. P. L.* 1. *c.* 1. §. 46. 53. 60. AUTOR der Donawertischen *Information p.* 123.

(w) *Eques* HENR. de BUNAU *Diss.* 1. *de Abusu J. F. in J. P. adversus JCtum Pragensem.* Sigillatim *Dn.* SPENERUS *Obs. feud. II. n.* 8 *p.* 125. & *in Examine Longobardicæ doctrinæ de felonia* evicit, quam inconcin- *Juris F. L. usus nullus est in Feudis Imperii.*

Deinde usu destituitur in *feudis Provinciarum recognitis* pariter ac in *causis feudalibus privatorum* jure patrio atque provinciali decisis. (x) *Quin* etiam theoreticum saltim est, *etiamsi Leges domesticæ deficiant*, in illis casibus, *in quibus repugnat rationi*, indoli atque naturæ Provinciarum Germaniæ. (y) Et cum Jus Longobardicum vel prorsus non habeat fundatam intentionem, (z) vel habeat tantum, quatenus institutis Patriæ quadrat & cum ratione applicari potest ad causas beneficiarias in Germania, (a) usum *denique* non exserit *in doctrinis Longobardiæ tantum accommodatis & ad Germaniæ indolem inapplicabilibus.* (b) Contra si

concinne Jus Longobardicum obtrudatur Statibus Imperii. Cum magna animi contentione exspectanda adhuc est ab *Excellentissimo JCto Domino Consiliario* GRIBNERO *commentatio de Abusu Juris feudalis Longobardici in præjudicium Principum Imperii.*

(x) §. 28. *lit. p.*

(y) KESTNERUS *Problem.* III. *p.* 51. *&* *p.* 55. MATTH. van der HOUVE *Annal. Batav. L. 6. c.* 14.

(z) §. 28. *lit. m.* (a) §. 28. *lit. u.*

Etiam in feudis Provincialibus oblatis, atq; in argumentis ad statum Germaniæ inapplicabilibus.

(b) In plerisque enim Longobardiæ Status est plane diversus à habitu Provinciarum Germaniæ. Cum vero cum statu varient jura, quis quæso indistincte Jura Longobardica Germanis, Catechesin vel ordinationem Mecklenburgicam Italis & Persis cum ratione applicuerit? Status diversi diversa jura requirunt, & si quis nihilominus *otiosis argumentis* insudare fategerit *in spem oblivionis*, ille suppar est homini marsupium recte quidem signata pecunia refertum habenti, sed in illa, ubi res coemendæ sunt, regione non currente & expendibili. Operæ pretium est ire exemplorum instar per pauca capita. *Jure Longobardico* omnia regalia, Jura subterranea, vectigalia, Insularum Jura & quæ sunt generis ejusdem tribuuntur Imperatori. *Jure Romano* relicta hæc omnia sunt in manibus privatorum. Verum *jure Germanico* regalia vindicanda sunt Domino territoriali, tantum abest, ut habenda sint pro reservatis Cæsareis, ut potius originario jure connexa sint cum jure territoriali. Deinde *jure*

Exemplum I.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0072
DFG

si Judices fecerint, in foris egregie *abutuntur* Jure Longobardico. Præcipue si insimul in dijudicandis controversiis feudalibus neglexerint genuinum ordinem atque normam judiciariam in praxi atque Processu, (c) neque tincti fuerint atque instructi selectis præsidiis pragmaticis, quæ faciunt ad evitandos scopulos feudales atque ad exornandam spartam Jurisprudentiæ clientelaris in ipsis Judiciis. (d).

re Longobardico feuda sunt beneficia atque *collata*, Vasalli sunt officiales & *Capitanei*. At *jure feudali Germaniæ* feuda tantum non omnia sunt feuda *oblata*, & qui *Principes Imperii* comparaverit cum *militibus Italiæ*, vel stupiditate abundet, vel intolerabili malitia. Quot vero quantæque ex hoc unico fundamento fluant conclusiones *de differentiis juris Longobardici & juris Germanici clientelaris*, hic in transcursu pleno filo confici non potest. Taceo utriusque Juris manifestissima discrimina in *debitis feudalibus, hypothecis, successione, foro, delictis, & infinitis capitibus* aliis, ex quibus illud conficitur: *Juris Longobardici usum in foris Germaniæ esse valde exiguum, & operam perdere oleumque illos, qui non sapiunt ultra formulas* GERHARDI NIGRI & OBERTI *de* ORTO. Qui posterior tamen ipse satis modeste sensit de sua Compilatione *in Epistola ad filium Anselmum*, ubi monet: *Usus qui in nostris partibus obtinet, non extendit vim suam in aliis provinciis.* *Exempl. II.* *Exempla alia.*

(c) Principio enim in medium vocanda sunt *Pacta investituræ*. LUCA *T. 7. Theatr. Verit. & Justit. supplem. L. 16. disc. 127. n. 15.* KNICHEN *de Pactis Investit. c. 1. n. 12.* Sequuntur deinceps *Jura gentilitia, Jura Provincialia, Consvetudines Germaniæ, rationes jurium morumque feudalium*, & demum *jura Longobardica*. MEVIUS *Cons. IX. n. 77. 82. p. 9. Dec. 30.* CARPZOVIUS *Disp. feud. 1. Th. 1.* MYNSINGER *V. Obs. 16. Resp. 41. n. 13.* TITIUS *J. F. G. c. 3.* SCHRADER *Tr. de feudis P. 1, qu. 6.* FROMMANNUS *de norma arbitrii judicis §. 60.* *De ordine judicandi controversias feudales in foris Germaniæ.*

(d) Quæ hic dicenda forent de selectis auxiliis in Jure Clientelari, summatim dicta sunt in *tractatione de Adjumentis & Selectis Mediis Jurisprudentiæ feudalis in Imperio atque Provinciis Germaniæ, sigillatim in Ducatu Mecklenburgico.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0073
DFG

CONSPECTUS ARGUMENTORUM.

§. 1. Olim Juris feudalis tractatio fuit infrequens à Seculo X. usque ad XII.

§. 2. Deinde ævo glossatorum fugitiva, Sec. XIII. XIV.

§. 3. Seculo XV. nundinalis.

§. 4. Seculo XVI. ævo Humanistarum proletaria.

De studiis Bartolistarum lit. q.

§. 5. Recentiori ævo corrupta atque confusa.

§. 6. *Ratio Ima* hujus generis fatorum est feudorum infrequentia.

De facie veteri Germaniæ, Megapoleos speciatim. lit. z.

§. 7. De origine feudorum primæva.

An Feuda à Romanis? lit. b.

An à Longobardis? lit. c.

§. 8. Origo Feudorum extra Germaniam Francis debetur.

§. 9. De origine feudorum speciatim in Germania.

Num illa inveniatur apud veteres Germanos lit. s.

An in Germania Franco Carolingica? lit. v. a.

Vox Salica denotat terram allodialem lit. z.

Vox Fisci vero feudalem. b.

§. 10. De origine feudorum in Imperio Germanico.

Vandalia est provincia Germaniæ, sed diutius coire noluit in Systema Imperii G. lit. v. z.

§. 11. Feuda vel sunt Imperii immediata, vel Provincialia. Feuda Imperii Electorum orta sunt Sec. X.

De origine nexus feudalis Ducatus Mecklenburgensis, Pomeraniæ, Holsatiæ, Brunsvicensis & Marchiæ in I. S. G. lit. b.

An

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0074
DFG

An Feuda Imperii sint feuda proprietatis? lit. d.
An sint feuda oblata? lit. f.
Feudorum Imperii facies sub ævo Friderici I. lit. h. i.

§. 12. Feuda Germaniæ Provincialia orta sunt Sec. XII.

Si quæ sint vetustiora, saltim fuerunt aulica. lit. l.
Nobilium vinculum subjectionis originarium non tollitur Vasallagio lit. q. y. Præcipue in Megapoli & territoriis clausis ib.
De prædiis allodialibus. lit. v.
Ratio cur ævo Fridericorum atque interregni prædia facta plerumque sint feudalia. lit. w.

§. 13. Feuda Provincialia vel habent indolem feudorum oblatorum vel indolem datorum.

De causis oblationis prædiorum in feuda. lit. e. sqq.
Num prædia præsumantur allodialia? Neg. præcipue in Vandalia. lit. o. p. lit. præc. m.

§. 14. *Ratio II.* Quia ignorarunt Historiam Imperii & Provinciarum.

Quando vox feudi esse cœperit in usu in Germania? lit. q.
Quid notet Leode? lit. w.
Num vocabulum Beneficium antiquius sit vocabulo feudi. lit. y.
Feod significat Salarium. lit. z.

§. 15. Historia Imperii atque Provinciarum sunt in Germania genuina præsidia feudalia.

De usu Historiæ in Jurisprudentia. lit. c.
De utilitate Historiæ Imperialis. lit. d.
De usu Historiæ Provincialis. lit. e.
De Scriptoribus Historiæ Provinciarum. ib. atque Imperii Germanici lit. g.

§. 16. *IIItia Ratio* repetenda est à genio Seculi Critici.

§. 17. Atque prærogativa Juris Romani.

De abusu J. R. in Jure Publico lit. u.

De Cujacii Sententia J. R. esse ipsum jus Naturæ. lit. x.
Sex singulares Conclusiones ex hac doctrina ib.
Glossatores I. Romano affingunt virtutem Apostolicam atque afflatum Spiritus S. lit. y.
Conclusio Septima & octava. ib.

§. 18. *Ratio IVta* est Juris Longobardici cum Jure F. Germanico confusio.

§. 19. Quæ evitanda est in Jure F. Imperii & Provinciarum Germaniæ.

De querelis Silesiorum, Saxonum & Mecklenburgensium lit. l. m. n.

§. 20. Cessant hodie recitatæ rationes & constat de Necessitate studii Juris feudalis.

Prædia feudalia hodie sunt frequentiora. lit. t.

§. 21. Constat de Utilitate Juris feudalis ex argumentis momentosis & quæstuosis in foris. *add. lit. g.*

Jurium commixtio & pestis Reipublicæ. lit. b.

§. 22. Usus Juris Longobardici in Germania ex Historia Receptionis definiendus est.

§. 23. Ut de hac constet, *agitur* 1.) de origine Juris Feudalis Germanici.

Franci sunt autores Juris feudalis in Germania. q.
De veteri autore de beneficiis lit. u.
De Speculo Saxonico & Suevico lit. w. x.
De usu veterum Legum Germanicarum. lit. b.
De autoritate Juris Saxonici in singulis Provinciis Germaniæ. lit. c. An abrogatum sit in Megapoli? ib.
Saxones olim complexi sunt gentes utriusque Saxoniæ ib.

§. 24. *Agitur II.* de Historia & origine Juris feudalis Longobardici sub Regibus Italorum.

Jus Longobardicum universum latum est solis Longobardis. lit. e.

An

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0076
DFG

An Longobardi Legibus Romanis prorsus valedixerint? lit. p.

§. 25. De Historia J. F. Longobardici sub Imperatoribus Germanorum.

Cur variorum collectiones J. F. non usu fuerint approbatæ? lit. e.

§. 26. Jus F. Longobardicum obligat Germanos ex receptione. Quæ vel est *privata*, vel *publica*. Illa facta est a Jureconsultis Sec. XII. XIII. XIV.

Receptionis privatæ occasiones fuerunt Italorum Academiæ à Germanis frequentatæ, atque facta deinceps in ipsas Germaniæ Scholas Doctorum Romanorum translatio. lit. i. sq.

De formula: Nach Lehn-Recht. *lit. h.*

Cur Germani vocati fuerint ad Academias Italiæ. lit. i.

De doctoribus Italicis atque numero Scholarium. lit. k.

In quem finem demum in Germania institutæ fuerint Academiæ? p.

De autoritate Doctorum Longobardizantium in Germania, speciatim in Pomerania. lit. q.

Integra tamen declarata fuit Jurium Germanicorum prærogativa à Privatis & Imperatore. lit. r.

§. 27. Publica J. F. L. receptio facta est Sec. XV. non dissentientibus Principibus in Camera Imperiali.

Movetur dubium de usu J. F. L. ex Seculo XII. lit. t.

Ad alia dubia Gerdesii ex Kantzovii Historia Pomeraniæ responsio & rationes. ib.

Quid significet: Das Mann-Gericht. *ib.*

A fine Seculi XV. frequens demum in Legibus facta est memoria Juris F. Longobardici sub voce juris communis. lit. v. w.

Receptio publica facta est salvis moribus Germanorum in Camera universim. lit. z.

Non vero sigillatim in singulis Provinciis. lit. d.

Quod probatur ex Seculo XVI. adhuc in Saxonia, Holsatia, Helvetia, Frisia. ib.

Receptio Juris Longobardici in singulis Territoriis est vel tacita. lit. e.

Vel

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0077
DFG

Vel est expressa, uti in Marchia, Ducatu Megapolitano, Brunsvicensi & Pomeraniæ. lit. f.

Juris Longobardici vis manet consvetudinaria. lit. g.

§. 28. De Indole receptionis & usu Juris Longobardici in foris Germaniæ.

De falsitate brocardicorum feudalium circa Juris F. L. interpretationem, receptionem & probationem. lit. l. m.

J. F. L. est subsidiarium. Ergo primæ partes deferendæ sunt Legibus ar[illegible]rioribus. lit. o.

De car[illegible]ia in legendo Schiltero. ib.

An J. F. L. integrum receptum sit faciatque pro allegante præsumtionem. lit. u.

Autores affirmantes & negantes. ib.

Compositio controversiæ practica. ib.

§. 29. De abusu & non usu Juris Longobardici in Curiis Germaniæ.

Juris F. L. usus est nullus in feudis Imperii. lit. w.

Nullus est in feudis Provincialibus oblatis. lit. b.

Æque ac in argumentis ad statum Germaniæ inapplicabilibus. ib.

Exempla hujus argumenti. ib.

De ordine judicandi controversias feudales in foris Germaniæ. lit. c.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002503272/phys_0078
DFG

di Legibus Romanis prorsus valedixerint? lit. p.
ria J. F. Longobardici sub Imperatoribus
n.
n collectiones J. F. non usu fuerint approbatæ? lit. e.
ngobardicum obligat Germanos ex rece-
vel est *privata*, vel *publica*. Illa facta est a
Sec. XII. XIII. XIV.
privatæ occasiones fuerunt Italorum Academiæ à
frequentatæ, atque facta deinceps in ipsas Germa-
s Doctorum Romanorum translatio. lit. i. sq.
Nach Lehn-Recht. lit. h.
i vocati fuerint ad Academias Italiæ. lit. i.
Italicis atque numero Scholarium. lit. k.
n demum in Germania institutæ fuerint Academiæ? p.
e Doctorum Longobardizantium in Germania, spe-
Pomerania. lit. q.
n declarata fuit Jurium Germanicorum prærога-
patis & Imperatore. lit. r.
F. L. receptio facta est Sec. XV. non dis-
rincipibus in Camera Imperiali.
ium de usu J. F. L. ex Seculo XII. lit. t.
Gerdesii ex Kantzovii Historia Pomeraniæ respon-
nes. ib.
Das Mann-Gericht. ib.
XV. frequens demum in Legibus facta est memoria
ongobardici sub voce juris communis. lit. v. w.
ca facta est salvis moribus Germanorum in Camera
lit. z.
latim in singulis Provinciis. lit. d.
ur ex Seculo XVI. adhuc in Saxonia, Holsatia,
risia. ib.
Longobardici in singulis Territoriis est vel tacita.
Vel